Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Theodor Thumm Georg Hehl

Exercitationum Theologicarum Disputatio V. De Concupiscentia Renatorum Et Peccato In Spiritum Sanctum : Erroribus Pontificiorum, Bellarmini inprimis, aliorumq[ue] fanaticorum, opposita

Tubingae: Werlinus, 1622

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749358440

Druck Freier Zugang





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749358440/phys_0001
DFG

Ep. Ind. 374 p.
Ep. 896 p. Ind.
138 p.
142 p.
57 p.

51.7.

F.g — 1310 1-5.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn749358440/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749358440/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749358440/phys_0004
DFG

EXERCITATIONUM
THEOLOGICARUM
Disputatio V.
De
CONCVPISCENTIA
RENATORUM ET PEC-
CATO IN SPIRITVM
Sanctum,
Erroribus Pontificiorum, Bellarmini inprimis,
aliorumq; fanaticorum, oppositа,
QUAM
PRÆSIDE
THEODORO
THUMMIO, S.S. THEO-
LOGIÆ DOCTORE, EjuS-
DEM PROFESSORE, ET EC-
clesiæ Decano, &c.
Exercitij gratia defendet
M. Georgius Hehl, Vlmensis.
In Aulâ Theologorum Novâ.
Ad diem Junij.

TVBINGÆ,
Typis THEODORICI WERLINI,
ANNO M. DC. XXII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749358440/phys_0005
DFG

VIRO

Admodùm Reverendo atque Excellentissimo,

DOMINO CVNRADO DIETERICHO,

SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTORI CELEBERRIMO, ECCLESIÆ ULMENSIS PASTORI & Superintendenti Dignissimo, Vigilantissimo.

Domino Patrono ac Promotori suo ætatèm venerando,

In debitæ gratitudinis & observantiæ testimonium,

Hanc de Concupiscentia renatorum & peccato in Spiritum Sanctum συζήτησιν,

D. D.

Respondens.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749358440/phys_0006
DFG

Exercitationes Theologicæ.

QUÆSTIO De CONCUPISCENTIA IN RENATIS RELIQUA.

An scil. *Concupiscentia post Baptismum & pœnitentiam in renatis adhuc reliqua, verè proprieq; peccatum sit, Deo inimicum & odiosum?*

RApicolæ animadvertentes, à controversiâ hac *omne meritum, perfectionem, justitiam, & supererogationem bonorum operum unicè dependere*, omni conatu & apparatu *concupiscentiam in renatis reliquam* è *peccatorum censu* eximere laborant. Sic enim Patres Conciliabuli Trid. Sess. 5. de hac quæstione decreverunt; *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Bellarmin. lib. 5. de Amiss. grat. cap. 7. *Asserimus, naturæ corruptio-*

ruptionem, sive concupiscentiam, qualis remanet post Baptismum in regeneratis, non esse peccatum originis, non solùm, quia non imputatur, sed etiam, quia imputari non potest, cùm nullum sit ex se, vel suâ naturâ peccatum.

Contrà verò Orthodoxi perspicuis & firmissimis Scripturæ testimonijs innixi, piè tuentur; *Concupiscentiam illam, in renatis post Baptismum & pœnitentiam adhuc reliquam, licet ad damnationem ipsis non imputetur, naturâ tamen suâ, sive ex se, in se & per se consideratam, vera & propriè loquendo esse peccatum*, id quod, statu quæstionis legitimè prius formato, I. *argumentis, tum ex Epistola ad Roman. tum ex alijs scripturæ locis desumptis*; II. *rationibus, ex analogia fidei deductis*; & tandem III. *testimonijs Orthodoxorum Patrum* probabimus.

I. Argumenta ex Epistola ad Romanos.

I. A peccati appellatione ex 6. 7. & 8. cap. Rom.

Quicquid Scriptura in propria & genuina sede hujus articuli, vocat PECCATVM, *illud est verè & propriè dictum peccatum.* Ratio, quia secundum communem Theologorum regulam, in articulis fidei τὸ ῥητὸν semper strictè tenendum est, nisi vel *textus cohærentia*, vel *fidei analogia* aliam expositionem requirat. Aliâs quævis Scripturæ dicta in alium atque alium sensum poterunt torqueri, sic omnis *fides*, omnisque *certitudo Scripturæ* peribit, & *infinitis erroribus* atque *hæresibus* patula fenestra aperietur. Minor probatur ab asseveratione Apostoli, qui Roman. 6. 7. & 8. cap. *concupiscentiam in renatis residuam*, aliquoties disertis verbis *peccatum* appellitat; V. G. Roman. 6. 2. *Qui mortui sumus* PECCATO, *quomodo adhuc vivemus in illo?* v. 6. *vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur* CORPVS PECCATI, *ut ultra non serviamus*

PEC-

PECCATO, v. 7. *Qui mortuus est, justificatus est à* PECCATO, v. 11. *Existimate vos mortuos esse* PECCATO, v. 12. *Non regnet* PECCATVM, *in mortali vestro corpore, ut obediatis ei in concupiscentijs ejus*, v. 13. *Neque exhibete membra vestra arma iniquitatis* PECCATO, v. 14. PECCATVM *vobis non dominabitur*, v. 16. *Servi estis ejus, cui obeditis, sive* PECCATI *ad mortem*, v. 17. *Gratias Deo, quod fuistis servi* PECCATI, v. 18. *Liberati à* PECCATO, v. 19. *Exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem*, ἀνομία εἰς ἀνομίαν, v. 20. *Servi eratis* PECCATI, v. 21. *finis peccati mors est*, v. 23. *Stipendium peccati mors est*, Rom. 7. 5. *passiones* PECCATORVM, *operabantur in membris nostris*, v. 7. PECCATVM *non cognovi, nisi per legem*, v. 8. PECCATVM *per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim* PECCATVM *mortuum erat*, vers. 9. PECCATVM *revixit*, v. 11. PECCATVM *per mandatum seduxit me*, v. 13. PECCATVM *ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum*, v. 14. *Ego venundatus sum sub* PECCATO, v. 17. & 20. *Quod habitat in me* PECCATVM, v. 23. *Captivantem me in lege* PECCATI, *quæ est in membris meis*, v. 25. *carne servio legi* PECCATI, *Rom.* 8. 2. *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me à lege* PECCATI *& mortis*, vers. 3. *de* PECCATO *damnavit* PECCATVM *in carne*, v. 10. *Corpus mortuum est propter* PECCATVM. Firmiter igitur concludimus, *concupiscentiam esse verè propriè dictum peccatum.*

Excipiunt Pontificij, *concupiscentiam hoc in loco peccatum appellari non propriè, sed figuratè, per figuram metonymiæ, vel quia ex peccato est, vel quia causa est peccati, si accedat consensus & delectatio*, hoc est, negat consequentiam, quia *peccatum* in *majore* significet *propriè*, in *minore*, *figuratè*: idque

probat 1. *quia Apostolus non dicit, concupiscentiam esse peccatum propriè.* 2. *quia scripturæ testantur, peccati vocem esse ambiguam, & nunc accipi pro culpa, nunc pro pœna peccati, quæ est culpæ effectus*, ut Ezech. 14. 19. *Hoc erit peccatum Ægypti*, id est, *pœna peccati: nunc etiam pro causa peccati, ut Deuterom.* 9. 21. *peccatum vestrum, id est, vitulum igne combussi.* Rom. 7. 7. *num lex peccatum est, id est, causa peccati? nunc denique pro sacrificio, ut Ose.* 4. 8. *Sacerdotes dicuntur comedisse peccata populi:* 2. *Cor.* 8. 21. *Christus dicitur factus peccatum pro nobis, id est, victima pro peccato.* 3. *Peccata propriè dicta verè tolluntur in justificatis: Concupiscentia, non tollitur in justificatis, quia Rom.* 7. 23. *Apostolus de se queritur: sentio aliam legem in membris meis.* 4. *Peccatum propriè dictum non est in corpore, sed in mente: at concupiscentia de qua loquitur Apostolus, est in membris.* 5. *Autoritate August. qui aliquoties asserit, concupiscentiam ab Apostolo appellari peccatum, quia est effectus vel causa peccati.* 6. *Authoritate Concilij Trident. Sessione.* 5. Verùm, contra hanc exceptionem urgemus 1. communem regulam, superius traditam, *non licere* nimirum *in articulis fidei discedere à nativa proprietate verborum, nisi ipsa Scriptura & textus cohærentia, tropicam aliquam expositionem requirat, eamq; ipsamet exponat & exploret.* Quùm verò hoc in loco nulla nos urgeat necessitas, à *proprio* & *literali* verborum *sensu* discedendi, (nisi Pontificij aliquam ostenderint, quod hactenus non potuerunt) relinquitur omninò, *proprio verborum sensui* constanter & necessariò insistendum esse, præsertim cùm Apostolus tot iteratis vocibus *concupiscentiam peccatum* appellitet, nullâ uspiam mentione factâ vocabuli *metonymias.* 2. respondemus; *Quicquid Scriptura ipsa propriè accipiendum esse docet, illud utique in propria, non figuratâ significatione accipiendum erit: Atqui Scriptura ipsa docet, concupiscentiam*

pro-

propriè peccatum appellari. Ergò. Minor probatur: quia I. id *peccatum vetat regnare* Paulus, cui dixerat, Rom. 6. v. 2. *nos esse mortuos in Baptismo*, quod appellaverat *veterem hominem*, ver. 6. *iniquitatem, injustitiam*, v. 13. 19. *peccatum ad mortem*, v. 16. 23. *à quo per Christum liberati sumus*, v. 18. 22. *quod in nobis non debet regnare*, vers. 16. *nec nobis dominari*, v. 14. quæ omnia sanè de *peccato* non *figuratè*, sed *propriè* sic dicto debent enunciari. II. Apostolus non *nudam appellationem peccati* tribuit *cõcupiscentiæ reliquijs*, sed multipliciter etiam, quid per *peccatum* istud intellectum velit, describit. Nam 1. dicit, *in carne mea non habitat bonum*, v. 18. 2. *volenti facere bonum*, MALVM *adjacet*, vers. 21. 3. *istud malum describit* PRIVATIVÈ, *bonum non ago*, v. 15. 18. 19. *perficere non invenio*, v. 18. 4. POSITIVÈ, *quod odi malum, hoc facio*, v. 15. *video legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, vers. 23. 5. ait, *pugnare cum* PRÆCEPTO *Domini, Non concupisces*, v. 7. 6. *operatum esse omnem concupiscentiam*, v. 8. *mortem*, v. 13. 7. vocat *peccatum, sub quo venundatus, & propter quod carnalis sit*, vers. 14. 8. vocat *malum perpetuò adjacens*, v. 21. 9. *repugnans legi mentis & spiritus.* 10. *captivare in lege peccati*, vers. eod. 11. vocat *malum crucifigendum, destruendum, cui non amplius serviendum*, Rom. 6. 6. 12. *mortificandum*, Rom. 8. 13. adeoque *tantum malum, à quo liberari quivis pius serijs gemitibus petat*, Rom. 7. 24. Ex quibus omnibus luculentissimè patet, *concupiscentiam rem esse nec indifferentem, nec bonam, neque malum tantùm pœnæ*, sed & CVLPÆ, quippe quæ repugnet *legi Dei*, tum *privativè*, tum *positivè*, adeoq; *peccatum esse propriissimè dictum, Deo exosum & inimicum*, & consequenter æternis cruciatibus dignum, Rom. 8. 13. III. *Rationes* Bellarm. NVLLÆ sunt. Ad I. Resp. Licet *verbotenus* non dicat Paulus, *peccatum est propriè intelligendum*, id tamen in *sensu*, uti evictum, dicit. Ad II. Varias

rias peccati vsurpationes uti admittimus, ita *metonymicam concupiscentiæ significationem*, (concupiscentiam dici peccatum, *quia à peccato causata sit*) ceu *scripturæ ignotam*, reijcimus. Ad III. peccata in justificatis tolluntur, *non ut non sint, sed ut non imputentur.* Ad IV. peccatum non est in *corpore*, in *carne* PHYSICÈ loquendo; est tamen in ijs, *corpus, carnem, membra* intelligendo *Theologicè*, quo in sensu, (ratione subjecti QVOD,) *tota natura* corrupta & infecta est. Ad V. Augustino (qui non est norma controversiarum normans) opponimus August. qui sub finem ferè lib. 2. cont. Julian. è Cypriani Epist. de eleemosynis hæc verba allegat: *Nec quisquam sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cùm scriptum sit: quis gloriabitur, se castum hominem esse, aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccatis? Prov. 20. 6. item: si dixerimus nos peccatum non habere, mendaces sumus*, 1. *Iohan.* 1. 8. Ad VI. Autoritas *conciliabuli Tridentini*, ob causas in exegesi c. 2. Matth. v. 4. pag. 252. à nobis expositas, *planè* NVLLA est.

II. Excipiunt Pontificij, *Paulum non de se tanquam renato loqui, sed alienam personam hominis* NON RENATI ET PROFANI *induisse, qui non solùm fomitem habeat, sed & ab ipso fomite vincatur & pertrahatur in varia flagitia; aut si de se ipso loquatur,* TEMPVS ANTE CONVERSIONEM *ejus intelligendum esse; idq; probare conantur ex cap. 7. Rom. Quia Paulus dicatur carnalis & venundatus sub peccato,* v. 14. *captivus lege peccati,* v. 23. *carne serviens peccato,* v. 25. Verùm respond. primò, in *genere*: Apostolum de seipso renato loqui, patet 1. è *claris litera*; quia semper in PRIMA PERSONA, adeoque de *se ipso* loquitur; *Peccatum non cognovi,* v. 7. *concupiscentiam nesciebam,* ibid. *Ego vivebam*

bam aliquando sine lege, v. 9. *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato*, v. 14. *Quod operor, non intelligo*, v. 15. *Quod odi malum, hoc facio*, & sic consequenter. 2. è *connotatione temporis*, quia semper loquitur IN PRÆSENTI, adeoque *de se, iam tum temporis in* GRATIÆ STATV constituto; *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato*, v. 14. *Quod operor, non intelligo*, v. 15. *Scio, quòd non habitat in me*, hoc est, *in carne mea bonum*, v. 18. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio*, ibid. &c. 3. Ex *proprietatibus renatorum*, I. *velle & approbare bonum, nolle & improbare malum*, v. 15. II. *consentire legi* DEI, *& hac delectari secundum interiorem hominem*, v. 16. 22. III. *non operari malum*, v. 17. IV. *velle bonum, sed perficere non posse*, v. 18. V. *habere interiorem hominem*, vers. 22. VI. *sentire luctam carnis & spiritus*, v. 23. VII. *captivari lege peccati, quæ est in membris*, v. 23. VIII. *agnoscere depravationem, & petere liberationem*, v. 24. IX. *gratias agere pro redemptione & justificatione*, v. 25. X. *mente servire Deo*, v. 25. & id genus similia plura, quæ omnia de *non renatis & impijs* verè prædicari nunquam possunt. Argumentum est tale; *De quocunque prædicantur renati propria, ille verè renatus est. Ratio, quia proprium nunquam egreditur suum subiectum. Atqui de homine, quem Paulus hoc septimo capite describit, prædicantur renati propria.* E. Secundò in *specie* ad antea citata loca ex Rom. 7. cap. distinguendo inter *renovationem inchoatam & consummatam:* illa contingit *in hac vita*, hæc *absolvitur in alterâ:* hinc ergo *renati in hac vita* partim dicuntur *spirituales*, partim *carnales: Spirituales*, quoad *primitias novitatis*; *carnales* verò, quoad *reliquias vetustatis*. Ut enim *Concupiscentia* in hac vitâ maximoperè *mortificetur*, non tamen *prorsus evellitur & eradicatur*, sed *sensus & radix* semper manent. Eodem sensu *renati dicuntur venditi sub peccato*, non quoad *totum*, sicuti

de *Achabo*, 1. Reg. 21. 20. & *impijs*, *Es.* 59. *scriptura loquitur*, sed quoad *tantum*, in *quantum* per *adhærentem corruptionem impediuntur*, ut ea, quæ *interiorem hominem delectant*, perficere non valeant. Negatur proinde, istam phrasin, *carnalem esse*, & *captivum teneri à peccato*, notare *hominem absolutè non renatum*; denotat quidem *naturæ corruptionem*, non tamen excludit *mentis renovationem*. Utrumque igitur de uno & eodem homine prædicari potest, videlicet *carnalem & spiritualem* esse, *velle bonum* & *facere malum*, *mente servire legi Dei*, *carne autem legi peccati*.

II. Ex Rom. 6. v. 2. & 6. *Quicquid est exuendum, crucifigendum, destruendum & mortificandum in renatis, illud utique malum culpæ, & per conseq. peccatum propriè dictum est.* Ratio; quia mala *pœnæ* non nisi *à Deo* proveniunt, adeoq; *evitari* non possunt. *Atqui concupiscentia est tale malum, quod crucifigendum, destruendum, & mortificandum*, secundùm allegata loca. E.

III. Ex Rom. 6. v. 23. *Quicunque morti, adeòq; omnis generis calamitatibus expositi sunt, illis quoque peccatum adhærere necesse est.* Ratio; quia *stipendium peccati est mors. Atqui omnes etiam renati morti omnisq; generis calamitatibus expositi sunt. Ergo & illis quoque peccatum adhærere necesse est.*

IV. Ex Rom. 7. v. 7. *Quicquid pugnat cum lege divina, & ex lege cognoscitur, illud est verè & propriè dictum peccatum. Atqui concupiscentia in renatis reliqua pugnat cum 9. & 10. præcepto Decalogi, & ex ijsdem cognoscitur.* E. Maior est αὐτόπις & ex definitione peccati, 1. Joh. 3. 4. *peccatum est ἀνομία*. Minor probatur ex v. 7. cap. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.*

Exceptiones varias contra argumentum hoc validissimum comminiscuntur Pontificij, quarum Prima est; *Apostolum hoc in loco loqui non de fomite, sed potius de concupiscentiæ actu voluntario, lege prohibito, non concupisces:*

quod

quod Bell. probare allaborat I. *quia Apostolus probat, ex lege cognosci, actus voluntarios concupiscendi interiores, ut desiderium uxoris vel rei alienæ, esse peccatum.* II. *quia Christus Matth. 5. interpretatur legem concupiscentiæ de voluntarijs tantùm concupiscendi actibus: qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo: ubi non sine causa addidit: in corde suo: quia non concupiscentia carnis, sed cordis, id est, voluntaria, quæ est peccatum actuale, prohibita est lege: non concupisces.* III. *Quia etiam Iosephus l. 12. antiquit. c. 13. scribit, motum internum non esse peccatum, nisi exterius se prodat.* IV. *David Kimhi in Ps. 66. 17. scribit: non imputari ad peccatum desiderium iniustum, si tantùm sit in corde. Actum hunc voluntarium Scholastici concupiscentiam formatam vocant.* Resp. I. *Illam concupiscentiam* Apostolus hoc in loco *lege prohibitam* esse asserit, quæ *difficulter*, & *non nisi per accuratam legis cognitionem agnoscitur.* Atqui *concupiscentiam voluntariam* esse peccatū, etiam *absq; legis moralis* promulgatione, *ex innato naturæ lumine* (ex quo *discrimen honestorum & turpium* fluit) cognosci potest, nec saniores quoque Ethnici (ut ex ipsorum scriptis constat) ita crassi & bardi fuerunt, ut *voluntarios concupiscentiæ motus* & *interiora delicta* PECCATA esse ignoraverint, siquidem *probatæ vitæ* & *honestæ conversationis* fuerunt studiosissimi. Hinc etiam quidam notant, quòd in *singulari numero* Paulus loquatur, *Peccatum non cognovi*, ad insinuandum non *multa actualia*, sed *unum singulare*, ORIGINALE *peccatum*, cujus *gravitatem & pravitatem* non satis cognoverit in *Pharisaismo* ante suam conversionē. II. Illam *concupiscentiam* intelligit, quam vers. 15. *non approbat*, sed *odit*, quam vers. 17. *ipse non operatur*, quam v. 23. *deplorat*, & ob quam se *captivum teneri* affirmat. At hæc non est *voluntaria*, *& cum pleno & deliberato voluntatis con-*

ſenſu conjuncta, quia talis in *renatos* non cadit, quippe quæ ſemper *ſpiritu repugnant*. Ergo eſt *involuntaria* & *originalis*. III. Apoſtolus *concupiſcentiæ* nomine intelligit, non ſolùm *concupiſcendi actus quoscunq; inordinatos contra legem, voluntarios & involuntarios*, ſed ipſam etiam *concupiſcibilitatem, pronam ad prava deſideria*, eamque lege, *non concupiſces*, pro *peccato* haberi docet, 1. quia abſolutè dicit: *Etiam ἐπιθυμίαν non noſſem eſſe peccatum, niſi lege prohiberetur*: ἐπιθυμία autem *in malam partem*, non *phyſicè* ſed *theologicè* ſumpta, non tantum eſt ὄρεξις, *actualis appetitio*, ſed ipſa etiam *concupiſcibilitas prava*. 2. quod v. 8. vocat *concupiſcentiam*, id v. 8. mox vocat *peccatum*: & hoc *peccatum* à *pravis concupiſcendi actibus*, tanquam *cauſam* ab *effectis* diſtinguit, dicendo: *peccatum genuit in me omnem cupiditatem per illud mandatum*. Hinc IV. reſpond. argumentando à *minori* ad *maius*: *Si actus concupiſcentiæ voluntarius lege damnatur & prohibetur, utiq; & ipſa concupiſcentia, radix illa vitioſa & habitualis corruptio, eiusq; primi motus atque ſtimuli ad vitia ſollicitantes*; quia ſi damnatur *effectus*, multò magis ipſa *cauſa*. V. Largiamur, *peccatum* v. 8.9.10.11. latè denotare *quodvis peccatum, internum & externum, quod ſine lege eſt mortuum*, quia *non agnoſcitur*, adventu autem *legis* ceu ex ſpeculo agnitum, *reviviſcit, & per mandatum occidit, ac fit mortiferum*, hoc eſt, ex legis ſententia *mortem gignit*: attamen in fine v. 11. manifeſtum eſt, per ἁμαρτίαν καθ' ὑπερβολὴν ἁμαρτωλὸν, *peccatum valdè peccans*, Apoſtolum propriſſimè *concupiſcibilitatem pravam*, tanquam *matrem generantem ex ſe omnia alia peccata externa & interna*, intelligere. Unde VI. Chriſtus quoque Matth. 5. *legem moralem* à varijs Phariſæorum corruptelis purgans, verumque ejuſd. ſenſum declarans, docet, *non tantum concupiſcentiam cum deliberatione & conſenſu coniunctam*, ſed

etiam

etiam *primos ejusdem motus in lege prohiberi*, v. 22. *quisquis irascitur fratri suo temerè, reus erit judicio.* E' quibus liquet, Bellarm. rectè fateri, *peccatum* hoc loco *propriè accipiendum*, atque consequenter, *concupiscentiam propriè sic dictum peccatum esse, quod ex lege cognoscatur*, quando ait: *Nam etiam concupiscentiam non novissem esse peccatum, &c. Ubi sanè particulâ non singulari emphasi hoc vult dicere: Non solum alia peccata externa, sed ipsa etiam concupiscentia inordinata, interna, quæ vulgo pro peccato non habetur, inde cognoscitur esse peccatum, quia lege prohibetur.* Quod de *fomite* addit, nil ad rhombum; eò quòd *fomes* in hoc articulo sit *non ens*, à Scholasticis excogitatum.

Rationes, quibus *concupiscentiam* ad *solos actus concupiscentiæ voluntarios* adstringere desudat Bellarminus, *misericordiâ* potius, quàm *refutatione* digni sunt. I. Petit principium; *tantum voluntarios actus concupiscendi ex lege vitiosos esse.* II. Evidenter probat nostrum conclusum, *quodvis desiderium uxoris vel rei alienæ inordinatum, etiam sine pleno voluntatis consensu esse adulterium vel peccatum cordis:* e. c. *David Bethsebam intuens*, non *tunc demum adulter capit fieri in corde suo*, cum *voluntas suaderet, volo hac muliere potiri*, sed *quam primum concupiscentia suggereret: Suave esse, tali muliere potiri: quid si ea potiar? quomodo potiar.* III. *Iosephi autoritatem*, ceu *Iudæi*, à Pharisæorum doctrina judicantis, hoc in negotio, ceu *spurium* rejicimus. IV. Christo & propriæ sententiæ repugnat. Negat enim, *desiderium injustum*, quod tantum est in *corde*, ad *peccatum imputari:* cùm Christus *cordis desiderium pravum adulterium pronunciet*, & adversarius non neget. Inprimis falsissimum; *lege non concupiscentias* CARNIS, *sed tantùm* CORDIS *prohiberi.* Nec est, ut Papicolæ excipiendo prætendant, *concupiscentiæ motus prohiberi non per* MO-

DVM OBLIGATIONIS *sub pœna peccati*, *sed per* MODVM *saltem* DOCTRINÆ, *ut queramus medicum*, *omnigs concupiscentia careamus*; cùm satis jam evictum, concupiscentiam *non bonam*, *non indifferentem*, non *morbum saltem & malum naturæ*, sed *peccatum propriè sic dictum*, *legigs contrariam*, Roman. 7. vers. 21. esse, de quibus paulo inferius ob. 4. plura.

Secunda est; *Dicunt*, *Apostolum loqui de concupiscentia carnis vel appetitus sensitivi*, *nõ cordis vel superiorum virium*. Resp. Si hæc sententia obtinere debet, sequeretur 1. *subjectum concupiscentiæ* post παλιγγενεσίαν in *renatis mutari* (quia prava concupiscentia ante regenerationem in *toto homine* diffusa est, & quidem *principaliter* (ipsis Pontificijs non reclamantibus) in *superioribus animæ potentijs* residet) quod absonum, cùm in regeneratione hominis tantùm *reatus* transeat, *actus* verò seu *habitus vitiosus* non tantùm in *appetitu sensitivo*, sed etiam *superioribus facultatibus*, tanquam subjecto QVO, quoad *radicem* & *sensum*, maneat. 2. *Rationem* & *superiores animæ facultates* de die in diem *non renovari*, quod est contra Apostolum Roman. 12. 2. Ephes. 4. 23. quod autem *renovatur*, *concupiscentiâ pravâ infectum sit*, oportet. 3. *superiores animæ facultates* in *renatis spiritui non repugnare*, hoc est, illas nullam sentire *luctam carnis* & *spiritus*, quod itidem Apostolo Roman. 7. v. 23. Gal. 5. 16. & experientiæ reclamat, quæ clarè testatur, non tantùm *corporalia desideria*, sed *animi* etiam *vitia* & *voluntatis inclinationes*, qualia sunt, *inordinati motus & desideria per errores*, *ignorantiam & diffidentiam*, *spiritui adversari*. Neque etiam 4. opus habere *renatos*, ut quotidie *precentur* Deum, ut *mentes ipsorum renovet*, & *voluntates ad ipsum inclinet*, quod tamen Paulus Ephes. 1. 16. 17. 18. & alibi passim facit: quæ omnia cùm absona & absur-

absurda sint, *omnes* insuper *homines* in *intellectu* deprehendant *tenebras*, in *voluntate* φιλαυτίαν, in *corde diffidentiam*, in *omnibus animæ facultatibus aberrationem à vero, bono, justo, &c.* sequitur, per *concupiscentiam* Paulum non tantùm *appetitus*, sed & *cordis*; non tantùm *sensus*, sed *mentis quoque*, non *crassam* tantùm, etiam *gentilibus* ex *lumine naturæ notam*, Paulo, *ante suam conversionem non incognitam*, sed *subtilem mentis & voluntatis* ἐπιθυμίαν, adeoque *omnium virium depravationem* intelligere. Et licet Paulus vocabulo CARNIS utatur, per illud tamen non *appetitum saltem*, sed *totalem hominis corruptionem*, Gal. 5. 17. intelligit, quam ob causam Rom. 8. 7. Col. 2. 18. *caro* non tantùm *inimicitia* dicitur, sed operibus insuper *carnis*, *inimicitias*, *idololatriam*, *æmulationes*, *contentiones*, *dissidia*, *hæreses*, *&c.* annumerat, quæ tamen non *vitiosi appetitus motiones*, sed *mentis & cordis actiones* sunt.

Tertia; *Distinguunt inter præcepta, quorum quædam tantùm media imperare ajunt, ut, pugna contra hostes; quædam verò & media & finem simul, ut, vince hostes. Illa tantùm obligare, hæc non item, tale verò esse præceptum de non concupiscendo.* Bellarm. lib. 5. de A. G. cap. 10. Sed respond. 1. hanc *distinctiunculam*, omni Scripturæ fundamento destitutam, in Pontificiorum cerebello confictam esse. Eâdem ergo, quâ illi eam afferunt facilitate, nos eandem reijcimus. 2. *absurdum & contra naturam legis* est, *aliquid servandum præscribere, & tamen ad id præstandum non obligare.* Sic enim nulla *lex* erit, sed *regula* tantùm *moralis* & *consilium quoddam.* Neque etiam *concipi* vel *definiri* potest *prohibitio sine obligatione*. 3. Concupiscentia illa vel est *res bona*, vel *mala*, vel *indifferens.* Atqui neque *bona* est, neq; *indifferens*, quia disertè ab Apostolo vocatur *malum quid*, v. 21. Si ergo *malum quid*, utique *legi morali* quoque

erit

erit *contraria*, quia *omne malum* in ἀνομίᾳ vel *recessu à lege* consistit. 4. Quod prohibetur sub *pœnâ æternæ maledictionis*, illud utique prohibetur per *modum obligationis*, ὅδηλον. Atqui concupiscentia prohibetur *sub pœna æternæ maledictionis*. Ratio, *quia maledictus pronunciatur omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in* libro legis, Deut. 27. 26. Gal. 3. 10. unde & illum *maledictum* esse indubitatè consequitur, qui *violat legem de non concupiscendo*. Ergo omnino prohibetur per *modum obligationis*, & non *tantum per modum doctrinæ*.

Quarta; *Concupiscentiam in lege quidem prohiberi, sed tantùm ut malum & morbum quendam naturæ, non ut nos obliget ad supplicium, sed ut nos impellat & incitet ad medicinam ei faciendam*. Resp. 1. *absurdum* est, & sibi ipsi manifestè *contradictorium*, aliquid *prohiberi in lege*, & tamen *peccatum non esse*. Nam ideo *prohibetur*, quia *voluntati divinæ contrarium* est. Quicquid autem huic *contrarium* est, illud eo ipso, quia *contrarium* est, *peccatum* est, quia unica *norma, mensura & regula omnis errati & peccati Theologici*, est *sola immutabilis Dei voluntas & justitia in lege expressa*. 2. Ipse *scopus & mens Apostoli*, si attendatur, omnino repugnat. Nam exinde Paulus *concupiscentiam sibi renato adhærentem concludit verè esse peccatum*, quia *lege prohibeatur*. Aut igitur Pontificij *mentem* Apostoli non satis assequuntur, aut Paulus *malè argumentatus* est. Non hoc. Ergo prius. 3. Præterea adversarij sese proprio jugulant gladio, dum *concupiscentiam illam morbum naturæ* appellitant. Si enim *morbus* est, utique *malum* etiam est. Ergo vel *malum culpæ*, vel *malum pœnæ*. Non *hoc*, quia sic *à Deo foret*, & per consequens *bonum quid*, neque *tantoperè à Paulo deplorandum*. Ergo malum *culpæ*, & per consequens *peccatum propriè dictum*, quia *tertium* quoddam circa *hominis malum*, nullum datur.

Com-

Committunt ergo 4. *elenchum accidentis*, dum hac ratione tantùm *concupiscentiam* prohiberi asserunt, ut nos ad *quærendum medicum impellat*: fit enim hoc per accidens, dum nimirum *gravitatem & atrocitatem ejus quotidie sentimus, nec tamen ab eâ liberari possumus, ut ad quærendum medicum adigamur*, adeoque cum Paulo ingemiscamus, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* 5. Eadem sententia deduci potest ad *absurdum* hoc modo: *Si concupiscentia post regenerationem reliqua non est propriè dictum peccatum, tum aut legis sensus, aut concupiscentiæ natura mutabitur.* Ratio; quia *eadem concupiscentia ante & post regenerationem* manet, hoc solùm discrimine, quòd IBI & *reatus* & *actus* adest; HÎC *actus* tantùm manet, transit verò *reatus*. *Atqui neque legis sensus mutatur* (quia *voluntas Dei*, cujus lex imago & symbolum quoddam est, *immutabilis* est, adeoque *quo sensu* SEMEL *rem prohibet, eodem* SEMPER *prohibet*) *neque concupiscentiæ natura* ἀποδῶς *vel in sese considerata*, neque enim ex *concupiscentia* fit *non concupiscentia*, neq; ex *peccato* non *peccatum*, nisi quod *accidentalis quidam respectus* tollitur, nimirum *reatus* & *obligatio externa ad pœnam*, quæ tamen ipsam *concupiscentiæ naturam* non tollit aut abolet. Firma ergo stat conclusio, *concupiscentiam quâ ante, quâ post regenerationem, verè propriéq; peccatum esse*.

Quodcunque hominem spiritualiter occidit, hoc est, morti tam temporali quàm æternæ obnoxium reddit, illud est peccatum propriè dictum. Atqui concupiscentia, cuius Paulus hoc cap. 7. meminit, hominem spiritualiter occidit. Ergo. *Maior* vera est ex Rom. 5. & 6. capitib. *Minor* probatur ex v. 11. cap. 7. *Peccatum, occasione acceptâ, per mandatum seduxit me, & per illud me occidit.* v. Ex Rom. 7. v. 11.

VI. Ex Rom. 7. v. 14.

Quodcunque facit, ut renati partim sint carnales, contra voluntatem venundati sub peccatum, adeoq; perfectè legem Dei implere non possint, illud propriè peccatum esse necesse est, ὅπλον. Atqui concupiscentia illa in renatis adhuc reliqua, facit homines partim carnales, &c. Ergo. Minor probatur ex Roman. 7. 14. *Scimus, quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Ex quibus verbis evidenter apparet, quòd Paulus *omnem imperfectionis & corruptionis causam*, in *concupiscentia illa residua*, propter quam etiam *sub peccatum sese venundatum* dicit, collocet. Quatuor excipiunt Pontificij: I. *Paulum non de se, sed de hominibus impijs, quorum personam induerit, loqui.* II. *Legem spiritualem servari à justificatis, quatenus opus est ad vitanda peccata, sed non servari, quantum ad quandam perfectionem quæ quidem sit finis præcepti, non tamen propriè in præcepto.* III. *Apostolum legem spiritualem*: NON CONCVPISCES, *qua parte adhuc carnalis erat, non omnino perfecisse, nec tamen peccasse.* IV. *Non statim peccatum dicendum esse, quod ad peccatum quodammodo instiget, & perfectam etiam legis impletionem impediat.* Idque illustrant simili quodam: *nam sicut, inquiunt, morbi corporis in hominibus quandoque omnis generis peccata causari solent, vid. licet iracundiam, impatientiam, desperationem, &c. nec tamen propter ea peccata censentur; ita rationem quoque eandem esse concupiscentiæ, quam quidem ad peccata homines quotidie instigare non negant, in peccatorum tamen censum propter ea venire nolunt.*

At I. *effugium* supra confutavimus. Ad II. Resp. Sanctos in *cavendis peccatis* legem non semper observare, nec eosdem tantùm in *quadam perfectione*, tanquam fine præcepti, *deficere*, tristissimi illorum *lapsus* testantur. Finem præcepti *perfectionem* esse, damus: esse verò *quandam perfectionem sine præcepto*, pernegamus, cùm *finis præcepti* sit

omni-

omnimoda hominis tam quoad partes, quàm quoad gradus, perfectio non saltem *indicata*, sed districtè etiam *præcepta*, secundum illud Deut. 6. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, &c. Matth. 5. 48. 1. Petr. 1. 16. Præceptum ergo: *Non concupisces*, & *media* & *finem* includit: *media*, ut concupiscentias reprimamus: *finem*, ut concupiscentias omnino, ne ulla lucta aut ἄταξία contra rectam rationem oboriatur, *exterminemus*; qui sanè *finis* licet *in viribus nostris non sit*, quia tamen ἀδυναμία ex *nostra est culpa*, *lex* ad *summam illam perfectionem* sub emancipatione *culpæ* & *pœnæ* nos obligat. Ad III. Resp. legem nos non tantùm obstringere, ut *carnis motibus non consentiamus*, sed ut *toti spirituales simus*, *eosq; planè non sentiamus*, quam ob causam etiam præceptum de *non concupiscendo*, reliquis omnibus pro *coronide* & *perfectionis regula*, S. S. addere voluit, ut *præceptorum obedientiam* non *externus actionibus*, sed *interna* & *spirituali perfectione* mensuremus. Ad IV. Resp. committere illos 1. elenchum *imparium*, quia magna disparitas est inter *concupiscentiam cordis*, & *morbos corporis*, quoniam Hi *nullam cum lege dissonantiam* habent, neque in *eadem prohibentur*, & per cõsequens *peccatis* annumerari nõ possunt: Illa verò, quoniam *legi perpetuò reluctatur*, *peccati nomen* & *definitionem propriè* meretur. 2. Ludunt quoque fallaciâ accidentis. Neque enim *morbi corporis semper & per se*, neque etiam *in omnibus subjectis causæ existunt iracundiæ*, *impatientiæ*, *& reliquorum peccatorum*, sed fit hoc planè in quibusdam per *accidens*; *concupiscentia* verò *semper*, *per se*, & in omnibus omnino ψιλοῖς hominibus, nullo prorsus excepto, *causa* & *fomes peccati est*, adeoque *perfectam legis obedientiam & impletionem impedit*. Ab eo igitur, quod est *per accidens*, ad id, quod est *per se*, non V. C.

VII. Ex Rom. 7. v. 15. & 16.

Quodcunque renatus, quâ renatus, non vult, sed potiùs odio prosequitur, illud lege prohibetur, & per cõsequens peccatum est propriè dictum. Atqui renati, quâ renati, concupiscentiam ejusq; primos motus non volunt sentire, sed odio prosequuntur pessimo. Ergo. Major probatur ex v. 16. d. cap. *Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est.* Unde exemplo *Pauli*, tunc temporis *renati*, evidenter colligitur, *mentem renatorum per spiritum regeneratam, & legem Dei*, IDEM *velle*. Ergo vi oppositorum, *quodcunque renati non volunt, illud cum eadem lege pugnabit*, & per consequens *peccatum* erit. Minor itidem exemplo Pauli manifesta est, ex v. 15. *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi, malum.* [Nota *concupiscentiam* ejusque *primos motus, ad vitia sollicitantes*; de *actuali* enim *mortali peccato* cum *deliberatione* & *assensu conjuncto* hoc intelligi nequit, cùm Paulus *renatus* fuerit, & ipse fateatur, quòd *istud malum* odio prosequatur.] *illud facio*, id est, quia Apostolus per Spiritum Sanctum *regeneratus*, nihilominus tamen *ex parte adhuc sub vetustate carnis constitutus* erat, ideo quod *non vult, nec approbat, illud nihilominus facit*, hoc est, *carnis concupiscentias* sentit. Duo regerunt Pontificij: I. *Motus involuntarios repugnare quidem legi, sed non esse peccata, quia tantùm repugnent legi, ut* JUDICANTI *finem, non ut* IMPERANTI *media*. II. Verborum Pauli hunc sensum esse: *consentio legi, quod bona sit, hoc est, si invitus concupisco, non repugno legi, sed ei consentio: ipsa enim vult, ut ego nolim concupiscere, & ego nolo concupiscere.* Ad I. Resp. ἀσύστατον esse, *motum involuntarium repugnare legi*, & tamen *non esse peccatum*, cùm formalis ratio peccati sit ἀνομία seu *aberratio à lege*. Ratio adjecta falsissima est: lex enim *finem* non solum *indicat*, sed eundem præcepto, *non concupisces*, non minus, quàm ipsa *media* imperat. Ad II. Resp. Consensum *mentis Pauli & legis*

& *legis* circa *sola media*, figmentum Papisticum esse, eò quòd lex, & *media* & *finem* præcipiat, serioque velit, *concupiscentiæ* non tantùm *resistere*, sed *planè non concupiscere*. Etiamsi igitur Paulus *concupiscere nolebat*, quia tamen & *nolens concupiscebat inordinatè*, *plenus* mentis Pauli & legis *consensus* non fuit, sed *nolens volens concupiscendo contra legem peccavit*.

Quicunq; bonum vult, neque tamen illud ob malum adiacens perficere potest, ille utiq; legem perfectè implere non potest. VIII. Ex Rom. 7. v. 18. & 21. *Atqui Paulus de se ipso renato, & per conseq. de omnibus in universum renatis apertè testatur, quòd velint, & quòd ipsis adiaceat bonum, perficere autem non possint, v.* 18. *Ergo Paulus, omnesq; renati, perfectè legem Dei implere non possunt, & per conseq. concupiscentia etiam post regenerationem in ipsis reliqua, & legis impletionem impediens, verè & propriè peccatum erit.* Replicant hoc loco Pontificij, Paulum hoc velle: *dum ab una parte malum adiacens incitat ad peccandum, ab altera parte legem Dei bonam retrahere à peccato. Ex hoc loco itaq; effici non posse: legem servari non posse, aut concupiscentiam involuntariam peccatum esse.* Resp. invertendo argumentum: Malum adiacens pios *incitat ad peccandum*, ergo *legi Dei* ceu *peccatum peccans repugnat*. Licet proinde lex Dei bona *retrahat* à peccato, id *prohibendo*, non tamen retrahit à peccato, *efficiendo*, ut *peccatum vitemus*; Ex quo utrumq; sequitur, & *renatos legem perfectè non præstare, & concupiscentiam pravam involuntariam peccatum propriè sic dictum* esse. Instant, *ut quis peccet non faciendo aliquid, requiri, ut debeat & possit illud facere. Nam si quis debeat & non possit, esse miserum, non peccatorem. Carne autem non concupiscere, non esse in nostra potestate. Apostolum igitur non perficiendo bonum nunquam concupiscendi, non peccasse.* Respond. 1. Ἀδυναμία faciendi bonum, abstinendi à malo, per proprium peccatum

tum *sponte* est attracta: Sufficit proinde ad peccatum, hominem *sponte* facere vel omittere, quod debet, quamvis facere vel omittere non sit in ejus potestate, cùm *ἀδυναμία ex ipsius sit culpa.* 2. principium hoc in *sensus* impingit. Satan non potest benè agere, sed in statu lapsus, ob *spontaneam* malitiam, *necessariò mendax & homicida est*; ex sententia tamen Bellarmini peccator non esset.

IX. Ex Rom. 7. v. 23.

Quicquid repugnat legi mentis per spiritum regeneratæ, & hominem renatum captivum tenet sub lege peccati, illud propriè verèq; dictum peccatum est. Atqui talis est concupiscentia in renatis reliqua. E. Maior vera est ex eo, quia *contrariorum contraria sunt attributa & effecta.* Iam verò *lex mentis*, & *lex membrorum* (quæ ut duo athletæ in filijs Dei sive renatis sibi invicem reluctantes hoc in loco introducuntur) sunt *contraria.* Ergo etiam *contraria attributa* verè etiam de ipsis enunciantur, & per conseq. si *lex mentis* ducit ad *sanctimoniam* & *vitam*, *lex membrorum* è contra trahit ad *injustitiam* & *mortem*, adeoque *peccatum propriè sic dictum* erit, quia *stipendium peccati mors est*, Rom. 6. v. ult. *Minor* evidens est è *συνεχείᾳ* & cohærentiâ totius contextus. Excipiunt Papicolæ: *Non omne quod repugnat legi, peccatum esse, quamvis esse peccatum legi repugnet: quia peccatum repugnet legi privativè, tanquam actio recedens à regula, cum qua deberet congruere:* idque declarant exemplis: *hominem peccantem, dicunt, repugnare legi, qui tamen peccatum non sit: legem item injustam repugnare legi justæ; & legem unius principis contrariam esse legi alterius, quarum neutra tamen injusta esse possit. Concupiscentiam autem repugnare legi non privativè, ut actionem recedentem à regula, sed ut legem contrariam, impellentem ad malum, quo modo etiam Diabolus repugnet legi, & quicquid ad transgressionem legis incitat.* Respond. *Omne peccatum formaliter repugnat legi*, idque vel *contrariè*, tanquam

quam *positiva quædam qualitas* & *vitiosa radix*, ut *peccatum originis* & *concupiscentia*, in quantum est *naturæ vitiositas*; vel *privativè*, tanquam *actio à lege ceu norma aberrans*, ut *omne peccatum actuale*: Exempla adducta aliena sunt: *homo* repugnat legi non *formaliter*, sed *effectivè*, ideo dicitur *non peccatum*, sed *peccans*; *lex injusta* repugnat *justæ*, *præceptivè*, ideo dicitur non *peccatum*, sed *peccans*; In *indifferentibus* contrariæ leges *indifferentes*, hoc est, nec *justæ* nec *injustæ* esse possunt, in *moralibus* verò minimè. Nec denique simpliciter verum, *concupiscentiam repugnare ut legem contrariam impellentem ad malum, sicut Diabolus repugnet legi impellendo ad malum*; cùm *Diabolus*, ceu *principium externum*, repugnet tantùm *effectivè*; *concupiscentia* verò, ceu *principium internum*, non tantùm ratione pravorum & inordinatorum motuum, quos gignit, *effectivè*, sed & *formaliter*, ratione pravitatis suæ à lege damnatæ.

Quicquid homines spiritualiter coram Deo miseros reddit, & à quo non nisi per Christum liberari possunt, illud non potest non peccatum, legeq; prohibitum esse. Atqui concupiscentia etiam renatos coram Deo spiritualiter miseros reddit, & ab eâ non nisi per Christum mediatorem liberari possunt. Ergo. Minor probatur ex v. 24. & 25. eiusd. cap. ubi Paulus consideratione *propriæ suæ depravationis, perpetuæq; militiæ* inter *carnem & spiritum*, tandem in hæc verba tragicè erumpit; *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Deinde verò iterum respiciendo in *beneficium Christi*, à *peccati* REATU & DOMINIO *nos liberantis*, rursum fide sese erigit, & in latam gratiarum actionem erumpit, dicens, *Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum.* Excipiunt hoc loco Pontificij, dicendo: *Infelicitatem & miseriam*

X. Ex Roman. v. v. 24.

miseriam POENÆ potius, quàm CVLPÆ *tribui, Paulumq; solummodo liberationem à corpore mortali & passionibus obnoxio petere.* Resp. 1. Homo ob malum *culpæ* & *pœnæ* miser est: 2. malum *pœnæ*, malum *culpæ* (quod in Dei judicio *mortem æternam* secum trahit, Rom. 6, 23. Ezech. c. 18. v. 24.) semper præsupponit. 3. Paulus liberationem petit non à corpore *physicè mortali* & *passionibus physicè obnoxio*; ab eo enim Christus Paulum *tum nondum liberaverat*; sed, sicuti annexa *gratiarum actio pro liberatione per Christum acquisitoriè facta* testatur, à *corpore mortali theologicè*, quod malo *culpæ* & *pœnæ* tum adhuc obnoxium erat.

XI. Ex Rom. 8. v. 6. & 13. *Quicquid Deo inimicum, & mortis causa existit, adeoq; in se sempiternam damnationem meretur, illud utique peccatum est verè propriéq; dictum. Atqui prudentia carnis*, i. e. *affectus, studia & cogitationes carnis, in ipsis renatis sunt inimicitia adversus Deum, sunt mortis causa, adeoq; sempiternam damnationem merentur.* Ergò. *Minor* probatur è vers. 6. & 7. cap. 8. *prudentia carnis mors est:* item, *sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta:* & v. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Instant: *Prudentiam carnis non esse concupiscentiam in Sanctis reliquam, sed aliud quid non renatorum proprium.* Resp. Prudentia carnis extendit sese *non ad actualia solùm peccata nondum renatorum*, sed ad ipsam *ingenitam pravitatem mentis, voluntatis, & appetitus* in homine, uti in disput. de peccato originis id evicimus. Quam *latè* proinde patet *concupiscentia carnis & spiritus*, Gal. 5. v. 17. tam latè sese diffundit quoque *prudentia carnis & spiritus*, atqui concupiscentia carnis *renatis adhuc adhæret*; Ergo etiam *prudentia carnis*, uti *lapsus sanctorum* id clarè docent.

Argu-

Argumenta ex alijs Scripturæ locis.

Geneſ. 6. v. 5. legitur: *Omnis cogitatio cordis tantùm mala eſt, omni tempore:* & cap. 8. v. 21. *figmentum cordis humani tantùm malum eſt, ab adoleſcentia ſua.* Ex quibus ita argumentamur; *Si omnis cogitatio & omne figmentum cordis humani tantùm malum eſt, ab adoleſcentiâ ſuâ, omni tempore, ſequetur, in renatis quoq; peccatum propriè dictum hærere, quod eſt concupiſcentia. Atqui prius eſt verum ex dictis allegatis.* E. Ratio ſequelæ in majore eſt hæc; quia ſi *omnis cogitatio* & *omne figmentum hominis malum* eſt, & quidem *omni tempore*, ſequitur, etiam *renatorum cogitationes malas eſſe*, adeoq; in ijs quoque *peccatum propriè dictum* hærere; aut ſi hoc non eſt, *neque omnis cogitatio ab adoleſcentia omni tempore mala erit.* Atqui hoc eſt abſurdum, & textui Moſaico contrarium. Ergo & prius. Neque eſt ut excipiat Bellarm. 1. *Locum hunc eſſe ſimilem loco Rom. 8. de prudentia carnis:* 2. *Eundem loqui de hominibus antediluvianis, & conſequenter de actualibus, non originali peccato.* 3. *Pronitatem illam ad malum non eſſe peccatum propriè dictum, niſi etiam actus voluntarius accedat, ſed eſſe tantùm vulnus quoddam, ex originali peccato relictum.* Ad I. reſponſ. fuit *ſupra* ad locum Roman. 8. 6. 13. Ad II. in diſput. 4. Exercit. de peccat. Orig. pag. 6. & 7. Ubi tamen obiter notamus, Bellarm. *duo priora effugia ſeſe mutuo tollere:* Si enim hic locus eſt ſimilis ei de *prudentia carnis*, ſequitur, quòd non tantùm de *antediluvianis* aut *actualibus peccatis* exponendus ſit, niſi aſſerere velit, 1. *poſt diluvium prudentiam carnis extinctam eſſe*, quod eſt contra locum, Gen. 8. 21. 2. prudentiam carnis non etiam *originalem* eſſe, quod eſt contra locum Rom. 8. ſupra explicatum. Ad III. Lex Dei non

XII. Ex 6. & 8. cap. Geneſ.

tantùm prohibet pronitatem *voluntariam*, sed, uti supra demonstravimus, etiam *involuntariam*, & requirit insuper *contrariam pronitatem in corde hominis ad bonum*, atq; conseq. *omnimodam conformitatem cum Deo, exactamq; & absolutam perfectionem.* Præterea, si hæc sententia obtinere debet, sequetur, *infantes peccato propriè dicto omninò carere*, quia illa *pronitas peccandi* in infantibus nondum erumpit in *actum voluntarium*. ἄτοπον.

XIII. Ex Iob. 14. vers. 4.

Job. 14. 4. *Quis dabit mundum de immundo conceptum semine? ne unum quidem.* Paulò aliter LXX. Τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ' οὐδεὶς ἐὰν κὴ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς: quod Augustin. ita expressit; *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Argumentum potest esse tale; *Si omnes sunt immundi, adeoque infantes quoque, quorum est unius diei vita super terram, sequitur, quòd renatis quoq; peccatum propriè dictum adhæreat. Atqui prius est ex loco allegato.* E. Rationem conseq. damus hoc prosyllogismo; *Illud, in quo concipimur & nascimur, nobis in hac vita quoad ὑσίαν semper adhæret* (quoad ὑσίαν dico, quia *reatum* & respectus quosdam accidentales, per *regenerationem* & *renovationem* tolli, ultrò damus) *Atqui in peccatis propriè dictis concipimur & nascimur. Ergo etiam peccatum propriè dictum nobis in hac vitâ semper adhæret*, & per conseq. *concupiscentia in renatis reliqua, è peccatorum censu eximi non potest.* Maior probatur, quia *peccatum originis* in hac vitâ non penitus eradicatur. Breviter; peccatum originis aut *prorsus expirat in renatis*, aut in *aliam naturam transformatur*, aut *idem quoad ὑσίαν semper remanet. Primum* repugnat *experientiæ*; *posterius* in *absurditatem* incurrit, quia si *natura peccati mutatur*, *essentia ipsius planè abolebitur*, & in renatis *planè nullum peccatum* reliquum erit, quod est absurdum. Ergo relinquitur *tertium*, quòd nimi-

nimirum & *ante* & *post regenerationem* quoad ἕξιν semper *idem* remaneat; quod erat probandum. vide Disp. de Peccat. Origin. p. 9.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Accusat hoc in loco Propheta regius *malitiam & corruptionem universalem omnium hominum*, eamq; non tantùm *actualem*, neq; tantùm *originalem*, sed *utramque*, id quod probatur: I. à SCOPO & *intentione Prophetæ*; vult enim docere, *omnes omnino homines, nullo prorsus excepto, esse peccatores & peccati reos*, idq; probatur tripliciter; 1. ab *ipsorum operibus* tum *internis*, tum *externis*, v. 1. 2. à *testimonio Dei* de *cœlo prospicientis*, v. 2. 3. ab *universali corruptione*, v. 3. II. ab UNIVERSALITATE *aliquoties repetitâ*: nam 1. dicitur *Deus de cœlo prospexisse super filios hominum* IN GENERE, id est, super *totum genus humanum*. 2. notatur etiam *finis hujus prospectionis*, nimir. *an vel* UNUS TANTÙM *inter filios hominum sit intelligens, aut requirens Deum*. 3. tandem sequitur *eventus, quomodo* nimirum *illi filij hominum comparati sint*, ubi iterum *universaliter* pronunciat, *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. III. ab ABSURDO, quia si ἀχρηστία *actualis* intelligatur, tum de *omnibus* affirmari nequit, quòd *declinaverint*. IV. ab APPLICATIONE APOSTOLICA, Rom. 3. v. 9. ubi Divus Paulus ad *universalitatem peccatorum probandam*, loco *probationis* adducit Psal. 14. V. à DEFECTU RATIONIS pro *exclusiva*, quia in *contrarium nihil* afferri potest, nisi Prophetam loqui de *peccatis hominum actualibus*, id quod *nemo* unquam Orthodoxus *negavit*: verùm ab *inclusiva* ad *exclusivam* non valet consequentia.

XIV. Ex Psal. 14. v. 2. 3. Psal. 53. v. 2. 4.

Excipiunt *primò* adversarij, loqui Prophetam tantùm de *desperatis & crassis peccatoribus*, & quidem de *talibus insipientibus, qui negant esse Deum. Ergo de originali vitio exponi non posse hunc textum.* Sed respond. 1. committere eos fallaciam conseq. Neq; enim sequitur, *Propheta David in principio Psalmi taxat* ACTVALEM, *enormem & desperatam quorundam impiorum malitiam. Ergo originalem in sequentibus versiculis nequaquam describit.* 2. committunt errorem elenchi, quia *versiculus* etiam *primus* de peccato *originali* haud malè explicari potest; *omnes enim naturâ sumus stulti & insipientes, tenebris obscuratum habentes intellectum*, Eph. 4. 17.

Secundò dicunt, Davidem uti verbis tantùm *activis, corruperunt viam suam, abominabiles facti sunt, non faciunt bonum, non intelligunt, non quærunt Deum, omnes declinaverunt.* Resp. Sed nugantur Pontificij: licet enim Propheta verbis *activis* utatur, non tamen propterea *originalem malitiam* non vult intellectam. Notus enim & præterea non infrequens S. Scripturis est *Hebraismus*, verbis *activis* non *actiones tantùm*, sed *habitus quoque & inhærentes qualitates notari.*

Tertia exceptio Pontificiorum est petita ex ipso *scopo & argumento Psalmi*, quod est *petitio reductionis Iudæorum è captivitate Babylonica. Ergo de solis Israëlis hostibus Propheta loquutus est*, quid verò hoc ad *peccatum originale*? Respond. 1. concedendo ex abundanti; quòd de *hostibus Israëlem captivum tenentibus* loquatur, non tamen sequitur, ipsum de *his solùm* loqui; repetimus enim & hoc loco στοιχεῖον istud Logicum, *ab inclusiva ad exclusivam non licet argumentari.* 2. Præterea Davidem de *corrupta hominum natura in genere loqui*, demonstrant satis luculenter argumenta jam superius posita. Quid quòd non omnes inter-

interpr. istum locum interpretentur de *corporali petitione*, sed de *spirituali*, quæ est de *missione Salvatoris*, de *liberatione à tyrannide Diaboli & servitute peccati*, cujus gravitatem Propheta hoc in Psalmo describit, Vide disputat. de peccat. Orig. p. 7.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Ex quo ita inferimus: *De illo peccato, quod est occultum, & omnem intellectum subterfugit, adeoq; cognosci difficulter potest, David tanquam renatus liberari cupit. Atqui peccatum originis, ipsi naturæ hominis peritissimè infixum, est ita occultum & tam clancularium, ut nobis semper etiam nolentibus & nescientibus, prava suggerat. Ergo de eo David tanquam renatus liberari cupit.* Duo hoc in loco excipiunt Papicolæ: 1. *Psalmistam non de originali peccato, nec de concupiscentia renatorũ agere, (tum, quia in justificatione omnia peccata remittantur: tum, quia concupiscentia non sit res occulta, tum denique, quia juxta August. Epistol. 200. non opus sit orare pro concupiscentiæ motibus involuntarijs) sed* II. *de peccatis venialibus.* Resp. I. David ceu *renatus* agnoscit *delicta*, & deprecatur *immunditiem* non tantùm *actualem*, sed & *originalem*, ex qua *illa* ceu *effectus* ex *causa* profluit. Rationes Bellarmini nullæ sunt. 1. enim *peccata nobis non remittuntur, ut non insint, sed ut non imputentur:* tollitur *reatus*, manet *culpa*. 2. Concupiscentiæ *motus historicos*, & *involuntarios*, esse *occulta peccata*, ex illo Rom. 7. 7. liquet, ubi Apostolus ita: *Concupiscentiam non novissem esse peccatum, nisi lex dixisset: Non concupisces.* 3. Augustinus non est *norma normans* controversiarum: sufficiat nobis, *renatum Paulum concupiscentiæ involuntarios motus agnoscere*, & ceu *peccatum peccans* deplorare. II. Falsum est, notari hîc *tantùm peccata venialia:* quia 1. *hæc omnia* non possunt esse *occulta*. Quis enim *omnes inordinatos motus*, & *pravas in-* XV. Ex Psalm. 19. v. 13.

clinationes occultas diceret, cùm etiam *saniores Ethnici*, Scripturæ luce destituti, *eas agnoverint*. 2. Si secundum Pontificios *originis vitium in renatis planè nullum est*, UNDE illa provenient *peccata venialia*, cùm *rivuli venenati* non nisi ex *venenato fonte* scaturire possint, & omnis *vitiosus effectus*, secundum Logicos, præsupponat *vitiosam causam*. *Diabolum* hîc causari non possunt, cùm David *occulta sua* nominet; neque etiam *propriam* RENATORVM *voluntatem*, utpote quæ *ista non vult*, sed *odit*. Aut igitur *originis vitium*, adeoque *concupiscentiam in renatis reliquam* nobiscum fateantur necesse est, aut *effectum* quendam absque antegressâ aliquâ *causâ* probent, quod est absurdum.

XVI. Ex Psal. 51. v. 7. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis calefecit [fovit] me mater mea.* Quo in loco observetur *scopus* & *intentio* Davidis, quæ erat, *propriam culpam perpetrati homicidij & adulterij confiteri*, adeoque *divinam misericordiam* implorare, atque ab eadem *peccati veniam* & *remissionem petere*. Inter alia adducit & hoc argumentum; à *depravatione & corruptione naturæ ipsius petitum*, quia nimirum *in peccatis sit conceptus & genitus*: unde sic argumentamur; *Quicunque renatus ob profundissimam originis corruptionem, quam ex matre hauserit, à Deo peccatorum veniam petit, is eo ipso confitetur, originis vitium, adeoq; concupiscentiam sibi renato adhuc profundissimè inhærere. Atqui David hoc in loco ob profundissimam originis corruptionem, quam ex corrupta matre traxerit, à Deo veniam peccatorum petit. Ergo. Vide disput. de peccato origin. p.* 8. 9. Huc refer etiam sequentia loca; Psalm. 116. 11. Jerem. 17. 9. Gal. 5. 17. Hebr. 12. 1. 1. Johan. 1. 8. & similia, quæ omnia *renatos omni peccato non carere*, adeoque *concupiscentiam etiam post regenerationem in ipsis adhuc reliquam*, *verè peccatum esse*, satis apertè demonstrant.

II. Ra-

II. Rationes ex Analogia fidei.

Quicunque imagine divinâ, qualis quidem primævo homini concreata fuit, destituuntur, illi ab omni peccato propriè dicto haud sunt immunes. Nam secundum adversarios ipsum *formale originalis peccati* in illa στερήσει consistit. *Atqui renati carent illa primæva imagine, qualis Adamo fuit concreata* Nam licet *de die in diem ad illam renoventur*, 2. Cor. 4. 16. nunquam tamen ad eam *perfectionem* perducuntur, quam proh dolor *in Adamo perdidimus.* Sunc enim adhuc in *via*, non in *patria*; in *statu currentium*, non *attingentium*; in statu *militiæ*, non *victoriæ*. Ergò. I. *A carentia imaginis divinæ.*

Quicunque quotidie pro peccatis orare, eorundemq; veniam petere coguntur, illi omni prorsus peccato non carent. Atqui renati quotidie pro peccatis orare, eorundemq; veniam petere coguntur: id quod patet tum ex *oratione dominica*, Matth. 6. in qua pro *peccatorum remissione* nos *quotidie orare* Salvator ipse docuit & præcepit; tum ex Psalm. 32. vers. 5. 6. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam, Domine, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te* OMNIS SANCTVS *in tempore oportuno.* Hinc eleganter Cyprian. in exposit. orationis Dominicæ: *opus est nobis quotidiana sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua purgemus:* & post pauca: *Sed quia nobis à Diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei:* & postea: *Providenter & salubriter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut cum indulgentia de Deo petitur, conscientiæ suæ animus recordetur.* Et Lutherus art. 2. *Vt finem faciamus, sola oratio Dominica nonne omnes concludit sub peccatum, dum omnibus, quan-* II. *remissorum.*

quantumlibet sanctis, mandat orare: sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua? Quid confitetur, qui petit fieri voluntatem Dei, nisi se nondum facere PLENE *voluntatem Dei, ac per hoc esse inobedientem Deo: neque enim fictis hîc verbis oratur. Hoc solo salvus, quod agnoscit & deprecatur suam inobedientiam, ac in quantum orat & agnoscit, tantum facit voluntatem Dei, id est, in Spiritu: sed in carne, contra quam sic orat, nondum facit. Ita qui petit sanctificari nomen Domini, nonne fatetur, nomen Domini adhuc in se pollui ex parte? quod dolens deprecatur, & impletur illud in eo Rom. 7. Quod nolo malum, hoc facio, quod volo bonum, non facio. Sic qui advenire regnum Dei petit, certè servum Diaboli se ex* PARTE *confitetur, cum Apostolo dicens: Video aliam legem in membris meis, captivantem me in legem peccati. Ergo renati quoque omni prorsus peccato non carent.*

III. *Ab odio Dei.* *Quicquid Deus absoluto odio prosequitur, illud non potest non esse malum culpæ, & per conseq. peccatum.* Ratio; quia *mala pœnæ* sunt *à Deo*; Deus verò *nihil odit eorum, quæ sunt ab ipso. Atqui Deus odit concupiscentiam*; est enim *legi*, adcoque *voluntati Dei*, cujus *lexicon* & *imago* est, *contraria.* Ergo.

IV. *A communi morte.* *Quicunque morti obnoxij sunt, in illis quoque peccatum inhærere necesse est.* Ratio; quia *mors per peccatum intravit in mundum*, Rom. 5. 12. *& stipendium peccati mors est*, cap. 6. vers. ult. Positâ ergo *causâ*, ponitur *effectus. Atqui omnes omnino homines, etiam renati, morti corporali obnoxij sunt.*

Ergo omnes omnino homines, etiam renatos & credentes, peccatum habere necesse est.

III. Te-

III. Testimonia Orthodoxæ Antiquitatis.

Hilarius *vocat corpora nostra omnium vitiorum materiam, & mala, quæ in nobis sunt, malitiam per conditionem originis.* Ita enim inquit in homil. quadam de lib. Jobi; *Memores, illa ipsa corpora nostra, omnium vitiorum esse materiam, per quæ polluti & sordidi, nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus.* Cyprianus: *Ne quisquam sibi de puro & immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cùm scriptum sit, quis gloriabitur, castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccatis? Si autem nemo sine peccatis esse potest, quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus aut stultus est.* August. de peccat. meritis & remiss. lib. 1. cap. 3. *Per Baptismum Christi hoc agitur, ut caro peccati evacuetur. Non autem sic evacuatur, ut in carne concupiscentia innata non sit, sed ne obsit mortuo, quæ inerat vivo.* Idem cont. Jul. lib. 5. cap. 3. *Concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis. Est & causa peccati, defectione consentientis, vel contagione nascentis. Et etiam peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis.* Idem tractat. 41. in Johann. *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore: Non ait,* Non Sit, Sed Non Regnet. *Quamdiu enim vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis: saltem illi regnum auferatur, non fiat, quod jubet.* Bernhard. in serm. de Cœna Domini: *In casu primi hominis cecidimus omnes: cecidimus autem super acervum lapidum, & in lutum. Unde non solùm inquinati, sed & vulnerati sumus, & graviter quassati: lavari quidem citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multâ.* Haud incommodè etiam per allegoriam huc accommoda-

Hilarij. *Cypriani.* *Augustini.* *Augustin.* *Augustin.* *Bernhardi.*

Simile Cananæorum.

runt quidam Patres exemplum *Cananæorum*, quos Deus propterea non *totos* delevit, ut haberet *materiam exercendi populum suum*, ne prolaberentur ad *securitatem*.

Atq; hæc pro confirmatione *nostræ sententiæ* (quòd *concupiscentia in renatis post Baptismum reliqua, verè propriéq; peccatum* sit) dicta sufficiant; nunc in contrarium *Pontificiorum argumenta* examinabimus, quæ itidem melioris ordinis gratia in *tres classes* commodè dispesci possunt, quarum prima continet argumenta ex *Scripturæ testimonijs* desumpta: altera *rationes φαινομένως* probantes, tertia denique *authoritates sanctorum Patrum* enumerabit.

Pars ἀναστατικὴ.

I.

Prima Classis, continens argumenta, è Scripturæ testimonijs petita.

I. Ex Iacob. 1. v. 15.

Concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Contendit hîc Bellarm. l. 5. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 7. *quatuor res* distingui ab Apostolo, CONCVPISCENTIAM, & tres ejus matres, SVGGESTIONEM, DELECTATIONEM, CONSENSVM. *Concupiscentiam ipsam & suggestionem dicit, Iacobum non appellare peccatum: delectationem nō plenè deliberatam, ceu partum imperfectum, vocare peccatum, sed non mortale: tertium denique motum desiderium cum pleno consensu, ceu partum perfectum, peccatum planè mortale definire.* Argumentum potest esse tale: *Quicquid demùm gignit peccatum, illud per se & propriè loquendo non est peccatum: Atqui concupiscentia simplex, cùm conceperit, parit demum peccatum, secundum Iacobum.* Ergo. Resp. I. Bellarm.

larm. pro ſententia ſua nihil concludit: Status eſt, *an concupiſcentia in* RENATIS *ſit peccatum?* argumentum verò infert: *Concupiſcentiam in* NVLLIS *planè* HOMINIBVS *eſſe peccatum*, cùm Jacobus univerſaliter dicat: *Vnuſquiſque verò tentatur, à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus; concupiſcentia cum conceperit, &c.* II. Quæ Jeſuita de *concupiſcentia* & ejus *motibus* addit, figmenta ſunt, uti vel ſolius *Davidis* exemplum edocet. Intuens David Batſebam, CONCVPISCENTIA *confuſa* in eam exarſit: mox inde SVGGESTIO prava, *quid ſi potiar hac fœmina?* ſubit etiam DELECTATIO, quaſi ſuggeſtionis ratio, carnem & voluntatem titillans: *bonum eſſet, potiri hac muliere*; cui tandem VOLVNTATIS CONSENSVS annuens ait: *volo potiri hac muliere*. CONCVPISCENTIAM verò hanc in Davide cum omnibus ſuis *motibus, propriè* ſic dictum & *damnabile peccatum* fuiſſe, *lex divina* [Rom. 7. 7. *Non concupiſces*; Exod. 20. 17. *Non concupiſces* (vel primo, vel ſecundo vel tertio motu) *uxorem proximi tui*, legisque à Chriſto data explicatio, Matth. 5. 28. *qui adſpexerit mulierem alienam ad concupiſcendum eam*, (ullo motu vel primo, vel ſecundo, vel tertio) *is mœchatus eſt in corde ſuo*] oſtendit. Argumentamur: 1. CONCVPISCENTIA prohibetur lege: *Non concupiſces:* Ergo eſt peccatum. 2. SVGGESTIO, *quid ſi potiar hac muliere?* pugnat cum LEGE, *non debes potiri aliena muliere.* Ergo eſt peccatum: 3. DELECTATIO illa prava, titillans carnem falſa perſuaſione, *bonum erit frui hac muliere*, ceu *mendacium* contra *rectam rationem* & *legem Dei* prohibetur: *non eſt bonum frui aliena conjuge*: 4. De CONSENSV ſeu *ultimo motu* non eſt dubium. III. Jeſuita committit turpem fallaciam principij. Concupiſcentia *parit quidem peccatum, ipſam* verò *concupiſcentiam parientem*

tem peccatum non esse, unde probabit? Neque enim unius inclusio, statim alterius est exclusio, quin imò ideo *peccatum verè & propriè* est, quia ejusdem *mater* & *causa* existit, secundum communem Logicorum canonem, *Qualis causa, talis effectus, & ex effectu judicium debet fieri de causa.* Quomodo ergo non sequitur, *qui gignit hominem, non est ipse homo*, sed contrarium potiùs verum est; *qui gignit hominum, is ipse quoque est homo*; *qui gignit leonem, is ipse quoque est leo*, (unum quodque enim genitum, participat naturam sui gignentis) ita quoque non sequitur, *concupiscentia concipiens gignit peccatum, ergo ipsa non est peccatum.* Distinguendum igitur est, inter *peccatum gignens* & *genitum*, inter *originale* & *actuale.* Concupiscentia est *peccatum gignens*, non *genitum*; *originale*, non *actuale*: à peccati verò *actualis negatione*, ad *negationem peccati originalis*, non V.C. IV. Nihil prohibet etiam, quo minus *peccatum unum gigni possit ab alio*, cùm & *ipsa actualia peccata, sibi invicem causa existant*, nec tamen propterea *peccata esse desinant.* Sic Ephes. 5. 18. ex *ebrietate* est *luxus* & ἀσωτία; utrumque tamen *actuale mortale peccatum est.* V. Committunt adversarij fallaciam ἐπιζητήσεως. Si enim *scopus* Apostoli attendatur, ipse non quærit, *quomodo peccatum actuale mortale emergat*, vel *quando oriatur*, uti falsò colligunt Pontificij, sed potiùs *peccatorum gradus* distinguit, & unde *peccata actualia mortalia oriantur*, docet, nimirum non è *Deo*, (quoniam Deus ad malum neminem tentat) sed ex *prava nostra concupiscentia, habitualiter in nobis inhærente, ejusq; primis motibus, ad peccandum nos incitantibus.* Sic ergo *radicem naturæ damnationis in nobismetipsis hærere* demonstrat, ac proinde *concupiscentiam in nobis per se & suâ naturâ rem malam esse, damnatione & morte æternâ dignam*, quia ex *malis fructibus de arboris malitia* judicandum est, sicut

ſicut Chriſtus ipſe argumentatur, Matth. 7.17. cap. 15.19. Excipit Bellarm. I. *Concupiſcentiam ejusq; primum motum non appellari peccatum*; II. *Iacobum diſtinguere concupiſcentiam à peccato conſummato, ceu ordinariè & plenè deliberato.* III. *Pronitatem non repugnare legi.* Sed Reſp. ad I. Concupiſcentia *formaliter gignit peccatum*, legiq́ue Dei, *Non concupiſces*, repugnat: Illa ergo non poteſt non eſſe *peccatum.* Ad II. Diſtinguit Apoſtolus *peccatum*, & *peccatum* (in malo moraliter) *conſummatum*, non ut *diverſas peccatorum ſpecies*, ſed ut *diverſos unius peccati* (formaliter ſic dicti) *gradus conſtituat. Idem enim numero peccatum intus à concupiſcentia conceptum & partum, foris opere conſummatum, dicit generare mortem.* Ad III. ſupra fuit reſponſum. Sicuti enim lex *pronitatem ad bonum* ejusq́ue *actum* requirit ob *conformitatem*, quam poſſedimus in *Adamo*; ita *pronitatem* quoque ad *malum* ejusq́ue *actum inordinatum*, etiam *involuntarium*, ob *conformitatem*, quam in *Adamo* attraximus, *prohibet.*

Neque eſt, quòd excipiat Bellarm. *concupiſcentiam ſimplicem non eſſe mortale peccatum, quia peccatum perfectum & conſummatum, Iacobo teſte, demum gignat mortem.* Reſp. enim, ipſum fallere & falli fallacia conſequentis. Neque enim quia *peccatum peractum & conſummatum*, eſt *peccatum mortale, concupiſcentia propterea mortale peccatum non erit*, ſed contra. Removetur ergo effectus genericus à cauſa remotâ, quia tribuitur proximè, quod eſt ἀφιλόσοφον.

Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. II. *Ex Rom. 7.17. Scio enim, quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum.* Ex his verbis duplex efformant argumentum adverſarij; I. *Si concupiſcentia non eſt opus Pauli, neque ipſi verè poterit imputari: quo enim jure alicui imputari poſſet, quod ſuum non eſt? Atqui concupiſcentia non eſt opus ipſius, quia ipſe non*

operatur malum, v. 20. *Ergo neque ipsi imputari poterit, & per consequens, concupiscentia in renato reliqua, non est propriè peccatum, quod ipsum damnare possit.* II. *Si concupiscentia non in se, sed in carne sua, hoc est, in alterâ constitutivâ sui parte, qua non est capax peccati propriè dicti, habitat, sequitur iterum, concupiscentiam in ipso tanquam renato, non esse peccatum propriè dictum. Atqui prius est verum, secundùm locum allegatum.* Ergo.

Respond. ad PRIMVM argumentum. 1. committi fall. à dicto secundum quid. Neque enim Apostolus simpliciter negat, *motum concupiscentiæ* SVVM *opus esse*, quia v. 15. expressè fatetur, SE *quod nolit malum, hoc agere*; & v. 19. *malum quod nolo, hoc* AGO; sed tamen κατὰ & secundum quid negat, *sese hoc malum operari*, nimirum *ex parte*, quâ adhuc ob *adhærens peccatum carnalis erat*. 2. Committitur etiam elenchus causarum: quia non propterea *concupiscentia, ejusq; primi motus* Paulo à Deo *non imputantur*, quasi illi *non sint opus ipsius*, aut *malum ipsi non designaverit*, sed quia id, quod *per se & suâ naturâ malum* est & *damnabile*, umbraculo *meriti Christi tegitur*, atq; ob id *credentibus non imputatur*.

Ad SECUNDUM resp. *carnem* hoc in loco non accipi pro *altera parte hominis constitutiva*, quatenus *animæ* opponitur, sed pro *toto homine, utraq; parte essentiali, corpore & anima rationali* constante, adhuc tamen sub *carnis vetustate constituto, & originali peccato corrupto*, prout in alijs quoque Scripturæ locis accipitur, ut Ioh. 1. 13. c. 3. 6. Rom. 8. 7. Gal. 5. 17. Colos. 2. 18. & toto hoc cap. 7. ad Rom. Neque ipse etiam Bellarm. diffitetur, in multis Scripturæ locis, per vocabulum *carnis*, intelligi *omnes animæ potentias*, tàm *superiores* quàm *inferiores*, per *peccatum corruptas*. Est ergo elenchus ὁμωνυμίας. Paulus enim de

de SE RENATO, hoc loco verba faciens, non *corpus* & *animam hominis*, sed *carnem* & *spiritum* sibi invicem opponit, & de hoc pronunciat, quòd ab originali vitio immunis non sit.

Sed excipit Bellarm. 1. hoc in loco per *carnem non intelligi posse totum hominem, quia Apostolus dicat, Non ego operor, illud scilicet malum.* Respond. disting. inter subjectum *quod* & *quo*: Apostolus negat, *se operari illos motus concupiscentiæ*, non ἁπλῶς & *simpliciter* (quia actiones & passiones sunt suppositorum) sed resp. *mentis renovatæ*: non operatur illud, scil. quâ *mente est regeneratus*; operatur verò illud, quatenus adhuc sub *carnis vetustate* est constitutus, hoc est, propter *peccatum adhuc in carne reliquum.*

2. Excipit Bellarm. *Apostolum disertè dicere, concupiscentiam non in se, sed in carne suâ habitare. Ergo non erat in ipso toto.* Respond. Jesuitam committere elench. falsæ interpretat; quia hæc verba, *in carne mea*, non sunt *correctiva*, sed priorum *declarativa.* Opponit enim sanctus Christi Apostolus *sese ipsum*, quatenus *in spiritu renovatus est, peccato in carne suâ adhuc habitanti*: ideo SE illos concupiscentiæ motus operari negat, scil. quatenus *regeneratus: faciebat verò illud, quod oderat*, v. 15. quatenus adhuc *carnalis*, & *sub peccatum venundatus*, v. 14.

3. Objicit, *carnem in Scripturis, quando in malam partem usurpatur, non nisi impijs tribui. Ergo hoc in loco de vetustatis reliquijs in Paulo tanquam renato usurpari nequit.* Resp. Jesuitam expressè contradicere ipsi Paulo, qui v. 14. de *se renato* conqueritur: *Ego adhuc* (scil. quoad vetustatis reliquias) *carnalis sum, venundatus sub peccato*: & ad Galat. 5. 16. in ipsis etiam renatis *carnem concupiscere adversum spiritum*, manifestè affirmat. Quamvis igitur *renati* per *Baptismum* à *peccati reatu* & *dominio totaliter liberati sint*, non

non tamen *totum peccati corpus in ijsdem destruitur*, sed *quotidiana mortificatione* ipsis destruendum relinquitur: hinc Aug. etiam lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 7. scribit: *Si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta in Baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus, Etsi exterior homo noster corrumpitur, tamen inferior renovatur de die in diem. Profecto enim qui de die in diem renovatur, adhuc nondum totus est renovatus, & in quantum nondum renovatus, in tantum adhuc sub vetustate est.* Hinc *veterem hominem jubemur destruere*, Rom. 6. 6. *facta carnis mortificare*, Rom. 8. 13. *& vetus fermentum expurgare*, 1. Cor. 5. 7.

III. Ex Rom. 8. vers. 1.

Nihil ergo damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu. Hinc colligunt Pontificij, *nihil prorsus in renatis esse condemnatione dignum, sive, nullam causam esse in ijs condemnationis*, adeò ut *si maximè umbraculum meriti Christi removeatur, nihil tamen eos ab ingressu cœli remorari possit.* Resp. Jesuitam hoc in loco manifestum committere crimen falsi: siquidem *de suo addit*, quòd in renatis nihil sit *condemnatione dignum.* Nuspiam hoc dicit Apostolus, aliâs sibi ipsi esset contrarius, utpote qui in præcedentis cap. vers. 21. & 22. de *peccato sibi adhærente*, de *lege membrorum, legi mentis repugnante*, graviter conquestus est; Nihil ergo *damnationis*, hoc est, quòd ipsos *actu damnet*, in *ijs esse* pronunciat, qui sunt *in Christo Iesu, ejusq; meritum firmâ fide apprehendunt.* Distinguendum igitur est inter *damnationem ipsam*, quæ *actu* locum *in renatis* non habet, quia Deo per fidem sunt reconciliati; & inter *peccatum damnabile*, sive *peccatum originis*, in *renatis* adhuc dum *inhæreus*, quod *naturâ suâ æternâ morte & condemnatione dignum est.* Peccatum enim in Baptismo *non tollitur, ut non amplius sit, sed ut non obsit vel damnet.*

Regerit

Regerit Jesuita 1. *Sublato formali & peccati, tollitur ipsum peccatum.* Consequentia suâ luce radiat. *Atqui in Baptismo tollitur formale peccati, nimirũ reatus. Ergo ipsum peccatum tollitur*, & per conseq. *concupiscentia post regenerationem peccatum esse desinit.* Respon. Ludere sophistam fallacia ὁμωνυμίας in vocabulo *peccati*, quod dupliciter consideratur, primò, prout est in prædicamento *qualitatis*, & *vitiosam qualitatem significat*, & tunc pro *formali* habet ἀνομίαν seu *deflectionem & aberrationem à lege:* deinde, ut est in prædicamento *relationis*, & consideratur ut *damnans*, ubi *formæ* locum obtinet *reatus*. His præsuppositis, respondemus ad majorem propositionem Jesuitæ: *sublato formali scil. absoluto, in prædicamento qualitatis considerato, tollitur ipsum peccatum.* Jam verò quoad minorem, in Baptismo non tollitur *formale absolutum*, sed *relatum*, in prædicamento relationis consideratum. Ergo neque *ipsum peccatum* tollitur, & per conseq. *concupiscentia etiam post regenerationem reliqua est & manet propriè dictum peccatum.*

2. Infert verò Jesuita; *Si concupiscentia manet in renatis reliqua, utique etiam ipse reatus manebit. Ratio; quia reatus est omnino inseparabilis ab eo, quod in se & natura sua, æterna damnatione dignum est.*

Sed facilis est responsio, si attendatur, *reatum* etiam duplicem esse, alium *personæ, reatu obstrictæ*, alium ipsius *concupiscentiæ:* ille notat *damnationem ipsam*, hic solummodò *damnabilitatem*; ILLE à *persona peccante est separabilis*; quando enim *peccator*, Deo Patri per Christum fide apprehensum est *reconciliatus, absolvitur* à reatu tum *originalis* illius concupiscentiæ, tum *omnium aliorum peccatorum*; HIC post Baptismum & regenerationem etiam in *renatis manet.* Neque enim *concupiscentia* planè è baptizato tollitur, aut in *aliam* etiam *naturam* mutatur, ita ut fiat *res*

bona, Dei amore & vitæ æternâ digna, (propria enim adjuncta non separantur à subjecto quoad potentiam) sed *reatus* tamen tollitur à *baptizato*, ita ut *concupiscentia* ipsi non amplius ad *damnationem imputetur*, sed *ex gratia ob Christi meritum ipsi condonetur.* Sunt igitur 4. termini in argumento, quod est ἀσυλλόγιστον.

3. Insurgit Jesuita: *Deus nunquam remittit reatum, dum manet ejus fundamentum, quia judicium ejus est secundum veritatem, Rom. 2. 2. Atqui secundum nostram sententiam, in renatis manet fundamentum, nimirum concupiscentia.* Ergo. Respon. negando conseq. majoris. Neque enim sequitur, *Deus judicat secundum veritatem*; ergo sublato *reatu*, tollitur ipsum *peccatum*, quia aliunde satis fit justitiæ divinæ, nimirum λύτρῳ *& merito Christi Servatoris*, cujus intuitu Deus *peccata, quæ non transeunt*, (pugnat enim cum veritate Dei, factum non esse, quod verè factum est) *nobis non imputat*, sed ob Christi satisfactionem ab eorundem *reatu* nos *absolvit.* Id quod Augustin. etiam 1. de nupt. & concupisc. cap. 26. his verbis effert; *quemadmodum peccata impiorum prætereunt actu, remanent reatu; ita vicissim renatorum peccata transeunt reatu, manent actu.*

4. Instat Jesuita; *Apostolum Paulum hanc conclusionem deducere ex superiori cap. 7. in quo nuspiam dixerit, Deum condonare concupiscentiam aut reatum, sed quòd docuerit, primos illos concupiscentiæ motus involuntarios non esse peccata, v. 16. & 17.* Respon. 1. Falsò hoc tribuit Apostolo, quòd in superioribus nuspiam dixerit, *Deum nobis condonare reatum:* non solùm enim vers. ult. præced. capitis dixit, *renatos per Dei gratiam in Christo impetrasse peccatorum remissionem, & per spiritum regeneratos, carne quidem servire legi peccati, mente autem legi Dei,* sed etiam insuper è contextu & συνεχείᾳ totius capitis patet. 2. falsò etiam negat, Apo-

Apostolum *motus concupiscentiæ involuntarios peccata appellare*, cùm contrarium potiùs ex multoties iteratâ vocabuli *peccati* repetitione, manifestò constet.

Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis & justificati. Ergo in renatis nihil contaminatum, & quod peccati propriè dicti rationem habeat, superest. IV. Ex 1. Corinth. 6, v. 11, Respon. distinguendo inter *peccatorum remissionem*, & *peccatorus renovationem*. Illa *perfecta* est, & omnibus numeris *absoluta*, tollens *reatum* omnium peccatorum: hæc est *inchoata* & *imperfecta*, *mortificans quidem carnem, sed non penitùs eam destruens & expellens.* ILLAM quod attinet, habent *renati* in Christo, qui *justitia nostra est, munditiem perfectissimam.* Mundities verò *renovationis* tantùm *inchoata* est, quæ quidem in hac vitâ quotidie *crescere* debet, donec in vita altera *perficiatur*. Unde Paulus ipse suos Corinthios *ita mundatos & sanctificatos* esse asserit, ut nihilominus *sese mundare jubeantur ab omni inquinamento carnis & spiritus, & sanctificationem perficere*, 2. Cor. 7. 1. *& vetus fermentum expurgare*, 1. Cor. 5. 7. A' *totali* igitur & *perfectâ peccatum remissione*, ad *perfectam renovationem* argumentari haud licet.

Neque est quod excipiant Pontificij, *Paulum loqui tantùm de actualibus Corinthiorum peccatis, post Baptismum, idololatria, fornicatione, &c.* commissis. Nam, etsi & *hæc* Paulum comprehendere, non negari possit, non tamen propterea existimandum est, *renatos ab omni prorsus peccatorum inquinamento immunes esse*; in ipsis enim etiam renatis hærere, quòd *quotidie mortificandum* est, Paulus ipse docet, 1. Cor. 5. 7. ubi renatos dicit esse *azymos*, & tamen eos jubet *expurgare vetus fermentum.* Unde etiam Eph. 4. & Colos. 3. capp. renatos adhortatur *exuere & deponere veterem hominem. Inchoata* igitur, non verò *perfecta* est in *hac vitâ, sanctificatio.* August. quoque super hunc locum,

cont. Julian. lib. 6. c. 5. ita commentatur: *Quòd Paulus dixit, & hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, &c. mutatos eos dixit in melius: non ut concupiscentiâ careret, quod in hac vitâ fieri non potest, sed ut ei non obedirent, quod in bona vita fieri potest. Ergo.*

V. Ex 2. Corinth. 6. v. 14. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Ergo in renatis peccati nihil est reliquum.* Resp. Est elenchus ἑτεροζητήσεως: Paulus enim hoc in loco concludit, *injustitiæ regnantis nullam esse communionem cùm justitia fidei, peccatum mortale non stare cum fidei doctrina*; Pontificij hinc sic colligunt, in homine renato non posse simul locum habere *carnem & spiritum, legem mentis & legem membrorum, reliquias vetustatis, & primitias novitatis*: Quæ consequentia? Expostulent igitur cum Paulo, qui illud aliquoties, & quidem disertè affirmare haud est veritus.

VI. Ex Ephes. 5. vers. 26. *Christus lavacro aquæ sistit sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam. Ergo in renatis non remanet peccatum originale.* Respnod. Dictum hoc non de *inhærente perfectione* hujus seculi est intelligendum, sicut Pontificij somniant, sed de *utroque statu*, tam *huius*, quàm *alterius vitæ*, tam de *Ecclesia militante renatorum*, quàm de *triumphante beatorum*, exponi debet. Paulus enim *totum beneficium Christi*, quatenus id non solùm respectu *huius*, verùm etiam respectu *alterius seculi* consideratur, *uno quasi complexu coniungit*, quasi diceret, *in hac quidem vita Christus Ecclesiam suam tanquam sponsam per fidem ornatu iustitiæ induit. Quâ iustitiâ Christi ei imputatâ, abstersæ iam sunt coram Deo omnes maculæ eius, contecta peccata, & omnes nævi infirmitatum, in carne adhuc reliquarum, ut ad condemnationem ei non amplius imputentur. Verùm, post hanc vitam, sublato è naturâ radicitùs peccato, fulgebit Ecclesia, tanquam sponsa suo sponso adornata, splendore inhærentis iustitiæ,*

per

per Christum reparatæ. Sic ergo Ecclesia Christi *militans*, in *hac vita pura* est & *immaculata*, *justitiâ Christi imputatâ*, quæ *sola* nos *immaculatos* facit & *irreprehensibiles*, solus Christus nobis à Deo factus est *sanctificatio & justitia*, 1. Cor. 1. v. ult. Ecclesia verò in *altera vita beatorum triumphans*, *sancta* erit & *immaculata*, *justitiâ sanctitateq; omnimodo perfectâ, ipsiq; naturæ penitissimè inhærente.* Quo pertinet regula August. lib. cont. Donat. c. 7. *Quæcunque testimonia divinarum Scripturarum commemorari potuerint, quibus ab omni malorum permixtione pura pronunciatur Ecclesia: non qualis nunc est, illis testimonijs pronunciatur, sed qualis post illam mortalitatem, in vitâ æternâ futura est.*

Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. quem effudit in nos abundè. Ergo nihil restat peccati in illis, in quo Spirit. S. abundè effunditur. Resp. 1. est elench. causarum: quia Spiritus S. non ideo in Baptismo abundè in nos effunditur, ut *renovationem uno quasi momento in nobis perficiat & absolvat, & peccatum in hac vita prorsus tollat*, sed ut *peccatum mortificetur*, hoc est, *dominium ei auferatur*, & sic *interior homo quasi de die in diem renovetur*, 2. Corinth. 4. 16. 2. fallit argumentum sophismate παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς. Spiritus enim S. in *renatos* abundè effunditur, non ἁπλῶς & *simpliciter*, sed respectu *status peccati & ante conversionem*, uti ex contextu Paulino patet; *Eramus aliquando* (scilicet ante conversionem) *insipientes, increduli, errantes, &c.* cùm autem jam (in actu conversionis) *benignitas & humanitas Salvatoris nostri apparuit, &c. effudit in nos abundè* (scilicet quoad *primitias novitatis*) *Spiritum Sanctum, per lavacrum regenerationis & renovationis, per Iesum Christum Salvatorem nostrum. Finem* quoque hujus *effusionis* subjungit, *ut justificati gratia ipsius* (non *inhærente* aliquâ *justitiâ* nostrâ) *hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* VII. Ex Tit. 3. vers. 5.

VIII. Ex Hebr. 9. vers. 28. *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* Hinc sic arguunt Pontificij; *Quorum vel tenues reliquiæ manent, illa exhausta dici non possunt. Atqui peccatorum in renatis* (secundum adversarios) *reliquiæ manent. Ergo omnia peccata exhausta non sunt, quod est cont. Apostolum.* Respond. 1. adversarium committere elenchum falsæ interpretationis: abutitur enim verbo *exhauriendi*, quod extat in vulgata versione, cùm in textu authentico legatur verbum ἀνενέγκειν, quòd significat vel *offerre*, vel *portare*, sicuti verbum hoc etiam usurpatur 1. Pet. 2. 24. *Qui peccata nostra αὐτὸς ἀνήνεγκεν, ipse pertulit in corpore suo super lignum.* 2. *Abolere* vel *tollere peccata*, hoc loco non significat *omnimodam peccatorum annihilationem*, vel è *subiectis expulsionem*; sed Scripturæ phrasi vel *universalem & perfectam Christi satisfactionem*, vel *particularem & credentibus collatam plenariam remissionem.* Probatur 1. ex eo, quia Johan. 1. 29. dicuntur *tolli peccata mundi.* Quo in loco, si *totalis peccatorum annihilatio* & *expulsio* intelligatur, sequeretur, *totum mundum esse ἀναμάρτητον*, quia *agnus Dei peccata totius mundi sustulit, ἄπαντα.* 2. ex eo, quia quando *peccatum* in uno aliquo loco *deleri* dicitur, tum hoc in alio per τὸ *condonari* & τὸ *remitti* explicatur. *Tollit ergo Christus peccata* 1. resp. *plenariæ remissionis.* 2. ratione *perfectæ satisfactionis.* 3. ob *continuatam renovationem.* Unde August. lib. 2. cont. Jul. *Deus sanat vitiatum à reatu statim, ab infirmitate paulatim.*

IX. Ex Luc. 10. vers. 30. Tandem producunt Parabolam Luc. 10. 30. *de homine spoliato & sauciato, qui statum Adami post lapsum adumbrarit*, & exinde sic ratiocinantur; *Qualiter sese habet homo iste sauciatus & vulneratus, taliter etiam Adamus eiusq; posteri sese habent in statu post lapsum.* Ratio, quia ille hujus typus fuit in hoc statu. *Atqui in homine illo, spoliatum esse, non fuit pecca-*

peccatum, sed tantùm misera conditio. Ergo & in Adamo eiusque posteris, spoliatum esse cœlestibus bonis, & sauciatam accepisse naturam, non est peccatum, sed misera & infelix tantùm conditio. Respond. 1. Ex *Theologia Parabolica non ducuntur firma argumenta.* Et Bellarm. ipse Tom. 3. de V. D. cap. 3. affirmat, *Ex solo sensu literali*, non *mystico*, argumenta esse efficacia. 2. Parabolæ ultra *scopum* authoris non sunt latiùs extendendæ. Scopus verò hoc in loco Salvatoris fuit, non *statum primi hominis lapsi adumbrare*, sed doctrinam de *proximo*, & *officia charitatis* explicare. 3. Si maximè concedatur, istâ Parabolâ *allegoricè* primum statum hominis (sicuti Patres quidã intellexerunt) adumbrari, nihil tamen adhuc subsidij ex hoc loco habere poterunt Pontificij, sed potiùs sese ipsos feriunt, dum concludunt, *in nullo homine, etiam non renato, corruptionem naturæ esse peccatum*, id quod ex Pelagianorum Scholâ mutuati sunt.

II.

Secunda Classis, continens rationes, concupiscentiam in renatis peccatum non esse, φανερῶς probantes.

Nihil habet rationem peccati, nisi sit voluntarium. Nam, ut habet Bellarm. lib. 1. de A. G. cap. 1. *Lex propriè non datur nisi iis, qui habent usum liberi arbitrij. Atqui concupiscentiæ motus sunt involuntarij. Ergo.* Resp. I. utramque præmissarum falsam esse. Nam quod ad majorem attinet, de *peccati quidditate vel essentiâ* non debet judicium fieri ex nostrâ προαιρέσει vel *voluntatis arbitrio*, sed, quæ unica omnium actionum nostrarum certissima norma & regula est, *lege Divina*, cum *hac* quicquid *congruit, bonum* & *rectum* est, quod verò ab eadem *recedit*, eo ipso *malum* & *pecca-* I.

peccatum est. Unde Theologi nostri hanc regulam habent verè Theologicam; *Ad peccati rationem satis est τὸ ἀνόμον, sive adsit sive absit τὸ ἑκούσιον.* Cujus regulæ veritas ut demonstretur, urgemus PRIMÒ, geminum Pauli testimonium, Rom. 7. 15. *Non quòd* VOLO *bonum, hoc ago, sed quod* ODI, *illud facio.* Unde propter hoc sese sub *peccato venundatum* dicit, v. 14. Et Gal. 5. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum.* SECVNDÒ, Johannis *silentium*, qui 1. Johan. 3. in definitione peccati, *& voluntarij* planè non meminit. TERTIÒ, peccata *infirmitatis* & *ignorantiæ*, quæ etiam *voluntaria* non sunt; tolleretur enim aliâs discrimen inter peccata *infirmitatis* & *malitiæ*, quorum *hæc* cum *assensu*, *illa sine assensu* fiunt. Ad minorem respond. Etsi *primæ motiones peccati* sint *involuntariæ*, tamen *concupiscentiam*, quando in *actum erumpit*, sedem suam in *voluntate* vel maximè *fixam* habere, manifestum est. Vix enim homo aliquid *appetere* dici potest, nisi quod *velit.*

II. Bellarm. lib 5. de A. G. & statu peccati, cap. 9. *Si non omne id, quod peccati rationem habet, in Baptismo tollitur, sequitur, Christum nos non verè, sed imputativè tantùm à peccatis redemisse, adeoq; Diabolum Christo potentiorem esse, quâ ratione gratia Dei contumelia afficitur, Christiq; merito detrahitur. Quæ posteriora cùm absurda sint & impiâ, Ergo & prius illud.* Respond. Committit Jesuita triplicem fallaciam in hoc argumento. Primò enim ludit sophismate *& μὴ αἰτὶς ὡς αἰτὶς.* Nihil hoc derogat *perfectioni Redemptoris*, licet *non perfectè* in Baptismo Christus nos *renovet. Perfectus* enim *Salvator* noster est & manet, non ob *perfectam in hac vitâ renovationem*, sed ob *universalem & perfectam ipsius satisfactionem*, quia *omnia peccata* nostra in se recepit, & tum *agendo*, tum *patiendo, plenissimè pro ijs satisfecit*, dequo etiam

etiam suprà. 2. Committit elench. oppositorum, dum malitiosè inter sese opponit *veram & imputatam justitiam.* Cùm *hæc justitia*, morte & passione Christi acquisita, nobisque per fidem imputata, *nos verè justificet*, & ab *omni peccato liberet. Fides enim imputatur credenti ad justitiam*, Rom. 4. 3. Fallit fallacia conseq. In *renatis post Baptismum remanet aliquid, quod peccati rationem habet. Ergo gratia Dei & meritum Christi non potuerunt istud quoque tollere.* Quæ ratio connexi? POSSET *utique Deus in hac vita nos perfectè renovare, adeòque peccatum funditùs eradicare*; quis enim infinitæ ejus potentiæ terminos ponet? VELLE *autem ipsum hoc facere*, è Scriptura nusquam *probari* potest. Elucet potiùs exinde *atrocitas peccati* tam arctè nobis inhærentis, &c. Opponimus proinde Bellarmin. canonem hunc Theologicum; *Quid gratia Dei & meritum Christi in renatis operetur, quomodo & quo ordine, statuendum est ex verbo Dei, non ex argumentationibus à possibili.*

III. *Si reatus tollitur in renatis, qui quasi est proprium ἀχάεγον peccati, multò magis ipsa concupiscentia. Prius est verum. Ergo.* Respond. argumentationem hanc esse planè *frustraneam*: neque enim profundissima Theologiæ mysteria *rationis naturæ decempedâ metiri debemus*, aut *judicium de ijs facere ex regulis Philosophicis*, sed *unicè ex verbo Dei revelato*, quod docet, in *Baptismo* fieri quidem *plenam & perfectam omnium peccatorum remissionem, renovationem verò tantummodo inchoari*; *mortificari quidem carnem, sed non penitùs expelli.* Tollit igitur Baptismus *originale vitium*, non ut *pharmacum*, quod prorsus *expellit morbum*, sed ut *Sacramentum*, quod *remissionem plenam confert, renovationem inchoat*, ut Theologi nostri loquuntur.

IV. *Propter res naturales nemo damnatur. Concupiscentia est res naturalis. Ergo propter concupiscentiam nemo damnatur, & per conseq. non est peccatum propriè dictum.*

Resp. 1. Latere ambiguitatem in vocab. *concupiscentia*, quæ vel significat δύναμιν *concupiscendi*, sive *motum facultatis sensitivæ proprium*, quorum ILLAM *Deus concreavit*; HIC *concreatam sequitur*, & per se *indifferens* est, ac proinde *vitiosum* aut *peccatum* nemo facilè dixerit: vel significat ἀταξίαν *illam*, quæ *partim privatione justitiæ originalis constat, partim verò contrarij habitus positione, depravatione extremâ tum inferiorum tum superiorum animæ potentiarum*, quam *peccatum verè propriéque* esse, ac proinde *ex se & suâ naturâ* quoque *damnare*, supra demonstravimus. Occurrunt ergo in argumento 4. termini, quod est ἀσυλλόγιστον. 2. Si *concupiscentia*, quæ est *res naturalis*, neminem *damnat*, neque *ante regenerationem nondum renatos damnare poterit*, ob eandem causam, quâ ratione negabitur *peccatum originale*, & *propria Pontificiorum sententiâ jugulatur*.

V. *Quicquid necessariò homini inhæret, peccatum esse non potest. Concupiscentia homini necessariò inhæret.* Ergo. Resp. Major iterum desumpta ex Philosophiâ, simpliciter negatur in Theologia. Quoad minorem, *concupiscentia inhæret quidem homini necessariò*, non verò *necessitate* quadam *simplici* & *absoluta*, quasi Deus *initio hominem in suis principijs ita creaverit, ut non possit non peccare*: sed *necessitate* (quam in scholis vocant) *consequentiæ* & *conditionatâ*, quia homo *instinctu Diaboli* lapsus, *sequé sponte à Deo avertens, suapte culpa, inevitabili hac necessitatis lege, quâ aliter nisi peccare non potest, sese obstrinxit*. Sunt iterum quatuor termini, ac proinde scopæ dissolutæ.

Quicunque

Quicunque est sanctificatus, in illo peccatum locum habere nequit. Ratio; quia duo contraria in uno eodemque subjecto simul stare nequeunt. *Atqui renati sunt sanctificati. Ergo.* Respond. Est fallacia παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς. Major vera est, non de *peccato quovis in genere*, sed de *peccatis actualibus & regnantibus*, quæ in *sanctificato* sive *regenerato* locum nunquam habere possunt: argumentum verò concludit de *peccato originali naturali*, quod cum *regeneratione simul stare posse*, docent *renati* ipsi, in oratione Dominicâ, *remissionem peccatorum quotidie efflagitantes*, secundum illud Psalmi 32. 6. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno.* Aut igitur Pontificios propria sanctitate turgentes, *orationem Dominicam* nunquam orare, & sic enormiter impios esse, aut huic quoque *peccatorum catalogo* sese annumerare oportet. Utrum volunt, eligant. VI.

Pœna non potest esse culpa. Concupiscentia est pœna lapsus Adamitici. Ergo non potest simul esse culpa. VII.

Resp. Pontificijs ex Augustin. sycophanticè argumentantibus, respondeat ipse August. lib. 5. contr. Jul. cap. 3. *Concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientiæ: & est causa peccati, defectione consentientis, vel contagione nascentis: non verò hoc solùm dicit, sed præterea adjungit tertium, esse scilicet etiam peccatum, rationem subjungit, quia inest illi obedientia contra dominatum mentis.* Idem etiam exemplo declarat; *Cæcitas cordis, & peccatum est, quo in Deum non creditur: & pœna peccati, quâ cor superbum digna animadversione punitur: & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.*

Si Baptismus non liberat hominem à concupiscentia, sequitur, aut Baptismum non liberare ab omnibus peccatis, aut concupiscen- VIII.

piscentiam non esse peccatum originis. Atqui prius est verum: Ergo. Resp. Committi fallaciam ignor. Elenchi: neque enim nos dicimus aut docemus, *peccatum originale in Baptismo prorsus deleri, ita ut ipsius ἕξια mutetur, & peccatum esse desinat.* Nō enim ex *peccato* fit *non peccatum*, aut ex *morbo* fit *non morbus*, sed illud ipsum *vitium*, quod *ante adfuit*, remanet etiam *post Baptismum* & *regenerationem*, sed *reatus ejus* tantùm per Christum *tollitur*, ita ut non amplius *damnare* possit. Breviter, concupiscentia nobis adhæret & *ante* & *post regenerationem*, sed diverso respectu: Ibi enim *adest & reatus & actus*: Hic *transit reatus, manet tamen actus*, vel ipsa *concupiscentiæ ἕξια*.

IX. *Si homo non nasceretur ex Adamo, & tamen haberet concupiscentiam, quam nunc habet, non posset in eo concupiscentia propriè peccatum vocari. Ergo concupiscentia in se & suâ naturâ non est peccatum.* Resp. Iterum Jesuita elumbem committit sophisticationem τῆ ὁμωνυμίας in vocabulo *concupiscentiæ*, quæ vel *physicè* consideratur, ut significat *appetitionem ordinatā objectorum*, quo respectu ἀδιάφορον est & media, *per se neque bona neque mala*, adeoque nec *peccatum*: vel *Theologicè*, quatenus relatè ad *legem Dei*, tanquam unicum infallibilem omnium actionum nostrarum judicem pensitatur & exigitur, quo respectu si cum *lege Dei* pugnet, *objectaq; inordinata, modoq; & fine illicito appetat, peccatum verè ac propriè dicitur*, ut supra probavimus. Laborat ergo argumentum πλεονεξία quatuor terminorum.

X. *Concupiscentiæ primi motus involuntarij non sunt peccatum. Ergo nec ipsa concupiscentia habitualiter inhærens, peccatum erit.* Resp. I. Argumentum hoc nititur falsâ hypothesi, scilicet *nihil peccati propriè dicti rationem habere, nisi quod sit voluntarium.* Jam supra enim demonstravimus,

volun-

voluntarium de *ratione* sive *essentia peccati Theologicè accepti non esse*; quia & ipsi *seniores Philosophi*, ea quæ ἀκουσίως & per *ignorantiam* fiunt, à *culpa* non eximunt, uti patet ex 3. Eth. 1. Et notum est illud 3. Eth. 5. οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄκων μάκαρ: *Nemo volens malus, nec invitus fælix.* Argumentum igitur principium petens, nihil concludit. 2. ratione hac denuo aboleretur *peccatum originale.* Si enim id peccatum non est, quod *vitare non est in nostra potestate; infantes certè peccato originali obnoxij haud erunt.*

Si in renatis manet peccatum originale, tunc non possunt XI. *Deum perfectè ex toto corde diligere: Atqui prius est. Ergo.* Respond. Est fall. ignor. Elenchi: *Dilectio* enim in hac vita *non datur perfecta*, sed est & manet in sanctissimis etiam duntaxat *incheata. Perfectè* autem *Deum diligere* dicuntur *renati*, 1. ratione *fundamenti*, in *Christo fide apprehenso*, in quo *perfectè obedientes* sunt, sicut in *Adamo perfectè inobedientes* fuere. 2. *Comparatione* vel *oppositione* ad *justitiam hypocriticam aliorum*, vel etiam respectu *termini perfectionis*, ad *quam* tendit. Extra quos respectus, *nulla omnino fidelium quorumcunque perfectio est in hoc mundo*: cùm ipsimet fateantur, quòd *bonum perficere nequeant*, & *stimulos carnis sentiant.*

III.

Tertia Classis, continens authoritates Patrum.

Ad quas In Genere respondemus 1. hoc *probandi genus*, tantùm esse *secundarium.* 2. Omnia ista dicta Patrum esse vel *depravata*, vel *falsò intellecta*, vel *aliò detorta*, aut certè *dubia*, adeoque ad probandum *inefficacia.* 3. In ijsdem Patribus pro sententiæ nostræ confirmatione *perspicua & evidentia occurrere testimonia*, quæ Au-

guſt. lib. 1. contr. Jul. collegit, uti videre eſt ex part. 1. Exam. Concil. Trid. tit. de reliquijs peccati originalis. 4. Veteres ante Auguſt. ætatem, priuſquam *certamen Pelagianum* exoriretur, aliquantò *ſecurius* de hac materia ſcripſerunt & loquuti ſunt. 5. Quandoque per vocabulum *peccati*, intelligunt vel *reatũ peccati*, (ſicut Auguſt. inquit, lib. 1. de nupt. & concup. cap. 26. *Hoc eſt non habere peccatum, reum non eſſe peccati*) vel pro *peccati mortali & regnante*, quo ſenſu *concupiſcentiam peccatum eſſe*, rectè negarunt.

In Specie verò ad illud, quòd Bellarm. ex omnibus Auguſtini Tomis probare conatur, quòd negaverit, *concupiſcentiam eſſe peccatum*; reſpondemus, Jeſuitam Auguſtino inſignem facere injuriam, adeoque committere ſophiſticationem περὶ τὸ πῆ καὶ ἀπλῶς. Neque enim Auguſtinus *ſimpliciter negavit, concupiſcentiam peccatum eſſe*, ſed tantùm *ſecundum quid*, & *certo modo*: nempe ſi vocabulum *peccati*, vel pro *reatu*, vel pro *ipſis peccatis actualibus, craſſis & regnantibus accipiatur*, ſicut ipſemet Auguſtinus ſeſe explicat lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 25. *Sicut eorum peccatorum, quæ manere non poſſunt, quoniam cùm fiunt, prætereunt, reatus tamen manet, & niſi remittatur, in æternum manebit: Sic illius concupiſcentia, quando remittitur, reatus aufertur: hoc eſt* non habere peccatum, non reum eſſe peccati. Et cap. 27. *Sicut peccata actualia prætereunt actu, manent reatu: ſic è contrario fieri poteſt, ut etiam originale peccatum maneat actu, prætereat reatu.* Lib. 1. contr. duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 13. *cùm concupiſcentiam, non quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocari dixiſſet, mox ſubjungit*; *Peccata autem ſunt, quæ ſecundùm carnis concupiſcentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicun-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749358440/phys_0058
DFG

dicuntur, cogitantur, quæ transacta etiam reos tenent, si non remittantur. Ex quibus manifestò apparet, Augustinum, quotiescunque *concupiscentiam peccatum esse negat*, intelligere *peccatum tale*, quod *actu nos reos, & æternæ damnationi obnoxios faciat.* Plura testimonia qui desiderat, videat Chemnit. in Exam. Dn. D. Gerhard. & Dn. D. Hütter. in LL. CC.

De Peccato in Spiritum Sanctum.

Peccatum in Spirit. S. est malitiosa, voluntaria ac destinato consilio suscepta agnitæ veritatis abnegatio, blasphematio, & oppugnatio, omniumque mediorum salutis abjectio.

Hæc definitio *octo συζυγιὰ* sive *essentialia requisita* in se complectitur, quæ breviter è Sacris evolvenda & ordine examinandà sunt.

I. Peccatum in Spirit. S. versatur potissimùm circa verbum & veritatem Dei, sive circa fidem & doctrinam, fideique appendices, miracula.

Probatur 1. ex Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Quo in loco peccatum istud per *apostasian* vel *defectionem à fide* describitur. 2. patet idem Heb. 10. 26. ubi dicitur, *quòd voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, amplius non relinquatur hostia pro peccatis*; ubi expressè mentio fit *notitiæ* seu γνώσεως, & *veritatis sive fidei*;

dei; quin & discrimen constituitur vers. 28. inter peccata *morum*, quibus *lex* violatur, & inter peccatum in *Spiritum*, cùm dicitur; *Irritam faciens legem Mosis, duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis putabitis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit.* Huc etiam pertinet illud 1. Tmoth. 4. 1. ubi expressa fit mentio *apostasias à fide, & doctrinæ dæmoniorum.* 3. evincunt idem *exempla* eorum, qui in Spirit. S. peccarunt; *Pharisæi veritati* à Christo *prædicatæ*, & fulgore ejusdem in conscientiâ convicti, *sese opposuerunt.* Scientes enim Johan. 3. 2 *Christum esse veracem, & viam Dei in veritate docere*, Matth. 22. tamen *doctrinam ejus* blasphemo ore *convitijs* infectati, imò ad *mortem usque furenter persequuti* sunt. Idem faciebant *Ieremiæ auditores*, sic enim allatrant Prophetam, Jerem. 44 vers. 16. 17. *Sermonem, quem loquutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli. Ergo.* Vide cap. 5. 12. ubi dicunt: *non est ipse, non veniet super nos malum*; cap. 7. 16. *non ambulabimus*; vers. 17. *non audiemus*; quam ob causam etiam prohibet Dominus, *pro illis orare*, cap. 17. 16. Sic Pharao impugnavit *verum cultum Dei*, & *miracula ejus.* Sic enim ille Exod. 5. 2. *Quis est Dominus ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.*

II. Peccatum in Spirit. S. versatur circa doctrinam agnitam. Demonstrari hoc iterum potest 1. ex Hebr. 6. 4. *Impossibile est, ut qui semel fuerint illuminati, &c. si prolabantur denuo, ut per pœnitentiam renoventur.* Quæ certè verba non de *superficiaria quadam*, sed de *accuratâ & evidenti cœlestis veritatis agnitione intelligenda sunt*; utpote quæ per *fidem veram*

veram in cordibus ipsorum sancita est, confirmata spe hæreditatis filiorum DEI, *ac gustu quopiam æternæ vitæ, denique Spiritu S. tanquam arrhabone hæreditatis ipsorum obsignata*, 2. Corinth. 1. 22. Ephes. 1. 14. &c. Sic Hebr. 10. 26. Igitur; *Voluntariè peccantibus post acceptam cognitionem veritatis, nulla pro peccatis reliqua est hostia.* 2. Idem convincit exemplum *Pauli*, qui *blasphemus fuit, & persequutor, & contumeliosus*; & tamen *in Spiritum S.* non peccavit, sed solummodo *in Filium*. Ratio; quia IGNORANS *fecit*, 1. Timoth. 1. 13. 3. quia peccata in *Filium*, & *peccata in Spi. S.* in eo distinguuntur, quòd illa *non agnitam*, hæc *agnitam doctrinam oppugnant*. 4. Docent id *exempla* superius allata. Inde ergo legitima infertur conclusio, quòd omnis peccans in Spirit. Sanct. prius *veritatem agnitam habere debeat.*

III. Peccatum in Sp. S. debet committi plena agentis scientia. Hoc est, dicitur in *conscientia sua convictus esse, & certissimè scire*, quòd *illa ipsa doctrina*, quam *malitiosè oppugnat & blasphemat, sit verbum* DEI, *sit ipsissima veritas, fidesq; vera & salvifica.* Requisiti hujus ratio exponi potest ex 1. Timoth. 4. vers. 1. 2. *Novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium*, & cauteriatam habentium conscientiam; talem autem habere non possent, nisi *scientes peccarent.* Sic *Pharisæi* quoque convicti erant in *conscientijs suis, miracula Christi verè divina esse, ipsius doctrinam de cœlo esse*, & tamen *scienter & malitiosè eidem resistebant, ipsumq; operâ Beelzebub dæmonia ejicere impio ore blasphemabant.*

IV. Peccatum in Spirit. S. plena & malitiosa voluntate committitur. Docet hoc 1. Epistola ad Hebr. 10. 26. VOLVNTARIÈ, ἑκουσίως, *peccantibus, post agnitionem veritatis, pro peccatis nulla amplius hostia est reliqua*; 1. Timoth. 4. 2. quidam dicuntur *discedere à fide*, contra *proprium conscientiæ testimonium*. Ergo ex *plena* & *malitiosâ voluntate*. 2. Exemplum *Petri*, qui quidem Christum *plenâ scientiâ*, non verò *plenâ & malitiosâ voluntate* abnegavit, sed *territus metu mortis & periculorum*, neque postmodum *voluntariè* in illa *abnegatione* & *blasphemia* perseveravit, sed ad *pœnitentiam redijt*, & *veniam consequutus* est. 3. Manifesta sunt exempla omnium eorum, qui in Spirit. S. peccarunt, qui omnes non ex *infirmitate* aut *coacti*, non *metu mortis* aut *periculorum*, ut *Franciscus Spiera*, & nonnulli *alij* sub *inquisitione Hispanica*, sed ex *merâ* & *destinatâ malitiâ*, contra *scientiam* ac *conscientiam propriam, veritatem agnitam blasphemarunt, & oppugnarunt*.

V. Est veritatis agnitæ abnegatio. Id quod author Epistolæ ad Hebr. per παράπτωσιν sive παράπτωμα exprimit. *Impossibile est eos, qui semel sunt* ILLVMINATI, *& PROLAPSI sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*.

VI. Est abnegatio veritatis cum blasphemia conjuncta. Quæ à Christo absolutè *blasphemia in Spirit. Sanct.* appellatur, Matth. 12. 32. Marc. 3. 29. Luc. 12. 10. Hoc requisitum expressit quoque Epistola ad Hebr. cap. 6. v. 6. homines istos rursus *crucifigere filium Dei, & ostentui habere*, hoc est, ut Græcus textus habet, *infamare, & ignominiæ publicè exponere*, cap. 10.

cap. 10. 29. *Quantò acerbius supplicium perferent illi, qui Filium Dei conculcant, & Spiritum gratiæ contumeliâ afficiunt.*

VII. Est veritatis blasphematæ insuper hostilis oppugnatio. Exemplo esse possunt vel soli *Iudæi*, tempore *Apostolorum*, *Antagonistæ Stephani*, Actor. 6. 10. qui tametsi non *potuerint resistere sapientiæ & spiritui, quo loquebatur Stephanus, adeoq; agnoverint, Apostolorum doctrinam divinam esse, & abipso* DEO *provenire, nihilominus contra proprium scientiæ & conscientiæ testimonium, præfractè eandem oppugnabant & persequebantur.* Unde sic eos alloquitur Stephanus cap. 7. 51. *Durâ cervice, & incircumcisis auribus, vos semper Spiritui S. resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.*

VIII. Et ultimum est, cum oppugnata veritate omnium mediorum salutis abjectio, ut nimirum is, qui taliter peccat, *omnia salutis media*, per quæ ad *agnitionem peccati*, ad *veram & seriam pœnitentiam*, adeoque ad *ipsam vitam æternam* perduci posset, *voluntariè, contumaciter & præfractè oppugnet, abjiciat, contemnat, ac Spiritui S. mediante verbo & Sacramentis salutem in hominum cordibus operanti, pertinaciter resistat.* Et hoc requisitum satis dilucidè expressit Epistola ad Hebr. asserens cap. 6. v. 6. *tales homines rursum sibimet ipsis crucifigere Filium* DEI. Et cap. 18. 29. *quòd illi, qui voluntariè post acceptam veritatis cognitionem peccant, Filium* DEI *conculcent, & sanguinem Testamenti, per quem antea fuerant sanctificati, pollutum ducant, & Spiritum gratiæ contumeliâ afficiant.*

Δόξα τῷ θεῷ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749358440/phys_0065
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749358440/phys_0067
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749358440/phys_0068
DFG

III. Testimonia Orthod tiquitatis.

Hilarius *vocat corpora nostra omnium* ... *te-* Hilarij.
riam, & mala, quæ in nobis sunt, malitiam pe ... *ri-*
ginis. Ita enim inquit in homil. quada ... *bi;*
Memores, illa ipsa corpora nostra, omnium v ... *te-*
riam, per quæ polluti & sordidi, nihil in nobis ... *in-*
nocens obtinemus. Cyprianus: *Ne quisqu* ... *&* Cypriani.
immaculato pectore blandiatur, ut innocentia ... *ci-*
nam non putet adhibendam esse vulneribus, ... *sit,*
quis gloriabitur, castum se habere cor? aut quis ... *un-*
dum se esse à peccatis? Si autem nemo sine pe ... *st,*
quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superb ... *est.*
August. de peccat. meritis & remiss. lib. ... *Ba-* Augustini.
ptismum Christi hoc agitur, ut caro peccati ev ... *au-*
tem sic evacuatur, ut in carne concupiscentia in ... *ne*
obsit mortuo, quæ inerat vivo. Idem cont. J ... *3.* Augustin.
Concupiscentia carnis, adversus quam bonu ... *ri-*
tus, pœna peccati est, quia reddita est meritis ... *Est*
& causa peccati, defectione consentientis, vel c ... *en-*
tis. Et etiam peccatum est, quia inest illi inobe ... *do-*
minatum mentis. Idem tractat. 41. in Joh ... *net* Augustin.
peccatum in mortali vestro corpore: Non ait ... *T,*
SED NON REGNET. *Quamdiu enim* ... *um*
necesse est esse in membris tuis: saltem illi regn ... *on*
fiat, quod jubet. Bernhard. in serm. de Co ... *In* Bernhardi.
casu primi hominis cecidimus omnes: cecid ... *per*
acervum lapidum, & in lutum. Vnde non sol ... *sed*
& vulnerati sumus, & graviter quassati: la ... *itò*
possumus, ad sanandum verò opus est curati ... *ud*
incommodè etiam per allegoriam hu ... *la-*
E ... *nt*